



B E A T I

RAYMUNDI

L V L L I

**DOCTORIS ILLUMINATI
ET
MARTYRIS.**

L I B E R

**MAGNUS CONTEMPLATIONIS
in Deum.**

**JVXTA MOGVNTINAM EDITIONEM
in folio Anni MDCCXL.**

**IN VARIOS TOMOS DISTRIBUTUS.
Tomus II.**

**PALMÆ MAJORICARUM
anno MDCCXLVII.**

Superiorum permissu.

**Typis Michaelis Çerdà & Artich, & Mi-
chaelis Amoròs Tył jr.**

PRINCE OF WALES

THE PRINCE OF WALES

THE PRINCE OF WALES

THE PRINCE OF WALES

THE PRINCE OF WALES

THE PRINCE OF WALES

THE PRINCE OF WALES

THE PRINCE OF WALES

THE PRINCE OF WALES

❁ (O) ❁
PRÆFATIO

SIVE

APOLOGIA

Junctâ Glossâ & Advertentiâ
pro oportunitate materiæ discussæ inter
Tomos distributa.



NON equidem sumus
immemores, Lector
Benevole, eorum,
quæ Præclarissimus
Compiler primari-
us Magni Lulliani O-
peris tanquam materiam Præfationi
hujus Libri substernendam appromis-
serat hunc in modum exclamans To-

mo

mo I. Operis generalis in Prologo Revelationis Secretorum artis pag. 1. „ Quis
„ mihi det centum linguas, det ora-
„ que centum, ut elata multiplici vo-
„ ce toto orbi annunciem Laudes Doc-
„ toris Illuminatissimi, Magistri fide-
„ lissimi, Parentis Amantissimi, Mar-
„ tyris Gloriosissimi, Medici Excellen-
„ tissimi, Philosophi profundissimi,
„ Theologi sublimissimi, uno verbo
„ omnium scientiarum & artium no-
„ bilissimarum Ducis, Regis & Impe-
„ ratoris ! non hic agam de pietate,
„ de virtutibus, de laboribus, de per-
„ secutionibus, opprobriis, carceribus
„ & plagis, quæ omnia ob amorem
„ sui Amati & ob Zelum propagatio-
„ nis & exaltationis sanctæ fidei Ca-
„ tholicæ & Apostolicæ Romanæ per-
„ pessa campum amplissimum in illo
„ mihi

„mihi præberent ad encomia illius
„multiplicanda sine numero: filebo
„pariter meritum & gloriam illius,
„quam nunc ab Amato suo recipit,
„cujusque idem supremus Amatus ad
„honorandum suum Amicum & vin-
„dicandum à calumniis, detractio-
„nibus & injuriis iniquorum homi-
„num in terris illustra ferè dietim
„dat testimonia; Hæc enim omnia
„& vobis horum omnium, quæ dico,
„spectatoribus (sic scribit ad D. D.
„Majoricanos) non sunt incognita,
„& sufficienter in Libris virorum Illus-
„trium acta illius & causam conti-
„nentibus toti orbi sunt exposita, & à
*me quoque loco huic materiae magis com-
petenti, nempe in Libro de Contemplatio-
ne referentur.* Veruntamen, cùm præ-
laudatus Editor non satis deploranda
morte

morte præventus impressionem hujus
altissimi Libri contemplationis non
supervixerit; Nobis verò publica Au-
thoritate Archi-Episcopali succeden-
tibus non differendis aliis principa-
lioribus negotiis ipsiusmet Operis ni-
miùm occupatis per tempus & im-
patientiam summorum Protectorum
& Patronorum Nostrorum non vacet,
tam spectabilem ac fusissimam ma-
teriam ea qua par est, industria per-
tractare, utpote quæ ad certam ac
finale[m] decisionem impartialis Judi-
cii plenariis documentis bene instrui
non posset, quin Chronologia om-
nium planè Librorum nostri Beati Au-
thoris, passuumque illorum vitam &
acta ejusdem, tanquam propria con-
fessio, optimè probantium priùs præ-
supponenda obtutibus Lectoris Bene-
voli

voli simul & semel valeat proponi:
Itaque circumstantiis temporis, ipsius-
que negotii exigentiæ pro nunc quo-
que cedendum esse judicantes, ea so-
lummodo brevissimis verbis perstrin-
gere volumus, quæ circa quosdam ap-
parenter dubios Textus hujus Magni
Libri Contemplationis, uti & circa
præcipuas ejusdem Libri Qualitates,
ipsumque nostri Beati Authoris Titu-
lum à male informatis & præoccupatis
rerum æstimatoribus possent objici,
vel potiùs quod audacter, ut saltem
aliquid hæreat, solent calumniari.
Missa hinc facimus ea, quæ omnium
calumniatorum antesignanus acerri-
mus Eimericus ob sui corrupti stoma-
chi debilitatem & inordinatum indis-
creti Zeli calorem tanquam saluta-
rem succum hujus nobilissimi Libri
Con-

Contemplationis in mortiferum ve-
nenum convertens ex pluribus locis
& passibus hujus Libri Contemplatio-
nis haussisse prætendebat; His namque
detecta & manifesta falsificatione, si-
nistra interpretatione, & damnabili
mutilatione Textuum abundanter sa-
tisfactum esse quilibet perspiciet in
diversis & quàm plurimis articulis sic
dicti *Memorialis collationis Tomo I.*
*magni Operis generalis inter prolegome-
na contenti.* Quatuor tamen hucusque
ab ipsis etiam adversariis intacta su-
persunt, quibus in gratiam Lectoris
Benevoli non incongruè occurren-
dum esse autumamus.

Primum est, quod habetur Cap. 36.
Tom. 1. contemplationis §. 1. & 2. pag.
75. (hoc est: in hoc to. 2. cap. 36. p.
58.) Animas Brutorum creari vel esse
creatas

creatas & Spiritus : Verum prudentes
& concordanter ad doctrinam præ-
cedentium & subsequentium Tomo-
rum Doctor Illuminatus intelligen-
dus est, in quibus hanc materiam &
Quæstionem non solum incidenter,
ut hic, sed ex professo tractat & resol-
vit, loquens de creatione Generali in
primis generalibus Principiis inchoa-
ta ; quod ipsum innuit, cum Corpus
quoque Animalis ibidem dicit esse
creatum; prout omne, quod non est
DEVS, est creatum & creatura in sen-
su Generali, sive sit immediatè ex ni-
hilo per creationem productum, sive
mediatè ex aliquo præjacente Gene-
rali per factionem vel generationem
eductum ; Et quod animæ Brutorum
sint Spiritus materiales, corporei, ani-
males, mortales, corruptibiles, nas-
centes

centes & pereuntes cum corpore, clarissimis verbis docet *Tom. IV. Magni Operis generalis Lib. de Quaestionibus per Artem Demonstrativam seu Inventivam solubilibus Quaest. 93. pag. 102. & Quaest. 103. pag. 110.* Sunt nempe quid subtilissimum, corporeum, agile, mobile, & movens; sicut & Spiritus vitales & animales in homine dicuntur Spiritus, nullatenus tamen immortales incorporei & incorruptibiles, quales solum sunt Angelici Spiritus, & animæ rationales.

Secundum est, quod habetur Cap. 351. n. 30. Tom. II. Contemplationis (sequentibus parvis tomis comprehenso) Vbi B. Author non est perperam intelligendus, quasi adstrueret improbitatem Ministri nocere poenitenti, quamvis habeat & ponat omnia ceteroquin

teroquin essent alia & necessaria Sa-
cramenti, sed quòd falsus Confessa-
rius, id est, vel non habens veram po-
testatem ordinis sacerdotalis, vel def-
titutus vera approbatione vel Jurif-
dictione, vel vera intentione, vel vera
forma absolutionis pœniteni noceat
ex defectu essentialium prædictorum;
vel etiam posse malum & mendacem
Confessarium simplicem pœnitentem
pervertere dicendo: non esse pecca-
tum vel non esse onus restitutionis,
ubi est; & sic de aliis hujusmodi, unde
dicitur, quod possit nocere liberè, &
non quòd necessariò semper actu no-
ceat.

Tertium est, quòd Doct. Illumi-
natus uno vel alio loco videatur asse-
rere: hominem videlicet habere vo-
luntatem faciendi bonum, sed non
po-

potestatem; 'quasi verò per hoc vellet
negare gratiam cuiusvis sufficientem,
per quam omnis homo possit operari
bonum. Sed mens & verba ipsius pos-
sunt & debent intelligi de Potestate
omnino expedita, quia multi ob vi-
tia, pravos habitus, & consuetudi-
nem, vel ex defectu occasionis extrin-
secæ non possunt omninò expeditè
facere bonum, etsi velint; unde ipse-
met Apostolus inquit & de se fatetur:
*Non quod volo bonum, sed quod nolo ma-
lum, hoc facio; & iterum: Velle quidem
adjacet mihi, perficere autem non invenio.*
Illud porro commune dictum: *Dum
potui nolui, dum volui non potui.* Pra-
vam insuper consuetudinem in se ex-
pertus S. Augustinus in Libris Con-
fessionum vocat *duram necessitatem*,
quin tamen vel Augustinus vel lau-
datus

datum supra Apostolus ullius erroris
veniat insimulandus; Sicut enim mox
citati textus non secundum litteram,
sed ad totius sacrae Scripturae mentem
& tenorem sunt intelligendi & expli-
candi, ita praallegati & similes Tex-
tus nostri B. Magistri non prout ja-
cent, sed ad Regulas artis in pluribus
suorum librorum traditas & orthodo-
xae fidei ex toto conformes accipiendi
sunt. Nam ipsemet noster B. Author
in iisdem locis se catholicè explicat,
quòd nimirum in creatura, in qua po-
testas & voluntas non convertuntur,
una possit esse sine alia quoad actum;
potest enim quis velle mori pro DEO,
& non potest actu sic mori deficiente
occasione, & persecutore fidei occi-
dente; non itaque adstruitur, quòd
aliqui habeant voluntatem & nullam
prorsus

prorsus potestatem cum gratia faciendi bonum, sed in suprà dicto sensu orthodoxo; neque dicitur de omnibus & omni maximè ad salutem necessario bono, sed solum de aliquibus & aliquo bono, ut patet ex verbis.

Quartum denique est, in quo soliditatem hujus artis & scientiæ tentare volunt, carpentes, quod dicatur: **DEVM** & Angelos bonos tentare hominem; sed sciendum est, quòd hi tentent ad bonum, nullatenus autem ad malum, sicut solent Dæmones, & Spiritus maligni; unde sacratissima scriptura, Verbum Veritatis, eodem plane sensu illo Verbo utitur, dum sapientissimus Moyses verissimè scripsit: *Deuter. cap. 13. v. 3. Quia tentat vos Dominus DEUS vester ut cognoscat an diligatis ipsum*; Alius autem textus S. Jacobi

Jacobi Apostoli cap. 1. v. 13. appa-
renter contradictorius: *Deus neminem
tentat*: cum priori conciliandus & ra-
tionabiliter exponendus est: neminem
tentat ad malum, de qua tentatione
apertè loquitur Apostolus loco ci-
tato.

Sunt quoque alii paulò magis con-
sideratè & mitiùs agentes, qui cùm
substantiam hujus sublimissimi & sa-
luberrimi Libri Contemplationis ag-
gredi non valeant, eundem tamen
propter qualitates plerumque accesso-
rias sugillant, carpunt & vilipendunt,
quorum summam ad quatuor potif-
simùm capita similiter reducemus,
ut nec leves reprehensorum nævos
huic præstantissimo operi patiamur
inuri.

Primum itaque, quod contemnunt,
est

est ordo, & repartitio hujus Libri: Verum isti tales aut non intelligunt, aut non recordantur, quod DEUS sapientissimus omnia fecerit in numero pondere & mensura; unde quid ridiculae simplicitatis? Si devotissimus noster Raymundus huic sanctissimo prototypo se conformare & per ordinem, repartitionem ac numeros suae divinae Contemplationis sacratissima mysteria DEI ac Salvatoris sui voluerit venerari? *Unitati* namque divinae voluit correspondere unitatem & integritatem totius Libri Contemplationis, cui volebat subservire *dualitatem* rectarum & sibi subordinatarum Intentionum primae & secundae. *Ternario* divinae Trinitatis assimilavit Tria Volumina unius libri; *Quinarium* sacratissimorum Vulnerum

nerum Redemptoris JESU Christi honoravit per quinque Libros Trium Voluminum unius Libri; quod idem de aliis numeris & mysteriis intelligi voluit Doctor Illumi. *Tom. I. Contemplationis in Prologo pag. 1. & seqq.* ubi non asserit præelectum ordinem numeros & repartitionem ad essentiam Libri conferre, sed piè sic voluisse dividere, benè memor, quòd cum simplicibus sit sermocinatio DEI, qui humilia respicit, & alta à longè cognoscit.

Secundum, quod plerique cum P. Kircherò & VVaddingo solent reprehendere, est humilitas, simplicitas, & ficta Barbaries styli & latinitatis Lullianæ; propterea in B. Authore malè & proprio damno contemnunt artem & scientiam, maximas Veritates, Rationes, Demonstrationes, ac utilitates in ipsa & in hoc Libro contemplatio-

*

nis

nis contentas. Sed ante omnia sciendum & advertendum est, quòd calamus Lulli tanquam Scribæ velociter scribentis plerosque Libros suos, & inter illos signanter hunc Librum Contemplationis, primitus conscripserit in lingua Arabica, atque ex hac traduxerit in linguam Vernaculam nempe Lemovicensem, in qua (prout vel infensissimus ipsius inimicus in proœmio Directorii de lingua Catalana fatetur) potuit Lulli scribendi methodus & exprimendi modus fuisse melior, elegantior & comptior, quàm ut possit in aliam linguam transferri, quia una habet differentes loquendi modos ab alia; unde defectum Latinitatis (si quis est) aut Barbariem vel inelegantiam styli non sapientissimo Lullo, sed vel ipsi defectuosæ multisque hiatibus plenæ & incompletæ ac ad faciendas aliarum

lin-

linguarum translationes prorsus insufficienti grammaticæ Latinæ, vel verboribus plerumque externis & fere ultra modum scrupulosis, adscribe; qui quasi de verbo ad verbum originalibus Catalanicis rigorosè insistentes ad exemplum translatorum ipsiusmet sacrae Scripturae potiùs Ethnicorum Grammaticorum Leges, ut plurimum sine ratione & ad libitum inventas, hinc & nunc transgredi maluerunt, ut linguas rebus, non autem res exprimendas linguis præposterè accomodarent; adeò, quòd hoc ipso L. B. palam fiat, consueta adversariorum dicteria prorsus esse temeraria, Authoris duntaxat sensum nostro vel translatorum studio à genuina mente unquã alienum, quin potiùs ob nimiam originalium inhærentiam fere quamplurimis reddi odiosum. Et dato, nostram B. Authorem

rem in sua nativa vel latina lingua
simplici & incomposito stylo usum
fuisse , ne idcirco flocci pendas (ver-
bis loquimur dissertis Doctissimi Al-
phonsi de Proaza ad Lectores in Lec-
tura super artem inventivam) quia
primo intuitu inconcinniter & gros-
sè tibi locutus esse videatur; nam, si
sedulò introspicias, procul dubio re-
peries nec elegantioribus nec se-
cundùm materiam substratam magis
propriis vocabulis loqui valuisse, ni-
si à se ipso & ab artificio sapientiæ
sibi infusæ penitus discessisset. Nec
rursus ideo tuis auribus forsitan ul-
tra modum delicatis duriloquus vi-
deatur & Crassilinguis , quia inter
ipsum legendum in bonificativum,
bonificabile , & bonificare & id ge-
nus similia passim impingas, nam si
tollas ab universo *tivum, bile, & are,*
tollas

„tollas necesse est ejus naturam, per-
„fectionem & finem, ipsum relin-
„quens inane, vacuum & otiosum; id
„est sine potentia activa, passiva, &
„actu, innatis sibi instrumentis ad
„agendum, itidem in divinis proprie-
„tates & productiones si tollas, DE-
„UM Saracenorum & Judeorum va-
„cuum imperfectum & in se ipso
„otiosum veneraberis. Talem igitur
„dicendi modum sibi proprium &
„peculiarem & ab ipsarum rerum vis-
„ceribus excerptum ita simplicem
„plenum & frugiferum ebibisse cre-
„ditur Raymundus ab eodem Sancti
„Spiritus fonte, unde scientias hausit,
„quem & nos, quantum valuimus,
„curavimus observare in hac (Libri
„contemplationis) translatione, ap-
„paratum & fucosam orationem,
„quasi pulcherrimæ Veritatis dubiam

„&

„& suspectam omnino fugientes, in
„qua quidem traductione, si quid
„perperam à nobis positum invenies,
„humiliter obsecramus, ut prius exem-
„plaria consulas, quæ Raymundus
„materno sermone scripta reliquit,
„quàm ipsum damnes, nostræ potiùs,
„quàm ejus insufficientiæ illud tribu-
„ens. Nec credas præterea ad intelli-
„gentiam Disciplinarum Raymundi
„per alias januas ad ingressus iri posse
„veriùs & faciliùs, quàm per suos ip-
„sius Libros & lecturas, qui, ut se se
„ipsum interpretetur, edidit certè
„non paucos. Nam alias frustra adep-
„tus videretur tantum Sapientiæ do-
„num, si in magis necessario, hoc est
„in modo illud docendi & commu-
„nicandi, aliquo pacto defecisset: un-
„de si quasdam interpretationes in
„Raymundum offendas, quæ nectar
„illius

„illius suavissimum nec sapiant, nec
„redoleant, caveas obsecro, ne tibiæ
„tubam comparando ipsis fidem prius
„adhibeas, quàm pro manifesto ha-
„beas legitimas esse Raymundinæ ar-
„tis expositiones. Sunt enim nonnulli
„alioquin sapientes, qui se ipsos tan-
„tùm sectantes, & sibi vel laudes vel
„oppositum parturientes, potiùs Lu-
„lli mastygas, quàm veros Lullistas
„agunt. Hactenus Proaza. Nostrum
igitur fuit, & semper erit ad imitatio-
nem Apostoli 1. ad Corinthios Cap.
2. v. 4. & 13. plùs ad ostensionem
virtutis & veritatis, ad doctrinam Spi-
ritus, & ad genuinum nostri illumi-
nati Doctõris sensum, quàm ad per-
suasibilia humanæ sapientiæ verba, &
inanem verborum strepitum conten-
dere. Nec mireris

Quoad *tertium*, L. B., si quando à
qui-

quibusdam festucam in alieno oculo
quærentibus obtrectatoribus audiveris,
nostrum B. Authorem aut temeritatis
aut inverecundiæ nota denigrari, pro-
prios enim impudici sive improvidi
sive præmeditati sermonis defectus
continuò sciunt excusare trito adagio:
*Castis omnia casta, & immundis nihil
mundum*: Alienos verò ad temporis
loci & officii circumstantias coaptatos
discursus & inde extracta moralitatis
argumenta rigidissima virga censoria
irremissibiliter volunt esse mulctanda:
si ergo castis omnia casta, quid cla-
mant? vel casti non sunt, qui ita vo-
ciferantur? quod nemo dixerit. Castè
ergo considerandum venit, quòd nos-
ter B. Author, ductu suæ Artis gene-
ralis, contemplanis totum universum
omniaque ipsius bona & mala, nullum
hiatum & vacuitatem, nihil etiam in-
tactum

tactum relinquens, necessariò in quibusdam Capitibus 104. & 138. ad plenitudinem scientiæ inducere debuit omnes res sensualiter & intellectualiter, naturaliter & moraliter pulchras & deformes ac turpes, & consequenter inter illas pulchram bonam & malam, quamvis corpore pulchram, sed anima moraliter turpem fœminam, quam rectè comparat cum fimo, ex quo in horto sequitur plus utilitatis naturaliter, quàm de mala fœmina qua tali moraliter, non autem fit comparatio præcisè quoad naturam, sed ab hac ad moralitatem procedit, ut patet intuenti. Et quid est malus homo vel fœmina nisi turpis & fætens fimus, & fumus, & faccus stercoreum, & esca vermium? prout mellifluus Bernardus & alii S. S. P. P. loquuntur communiter. De cœtero quis crederet nostrum B. Ray-

mun-

mundum studio & ex intentione minus pura voluisse in suis scriptis quidquam disseminare, quod Modestiam & castitatem legentium posset offendere? cum ex historia & suis scriptis certum sit ipsum concepto odio erga mundanum & carnalem amorem statui maritali renunciaffe, & ex toto animo ad amorem divinum conversum tot lacrymis & corporis castigationibus ipsaque gloriosa morte suos quondam carnales excessus expiasse. Si quid tamen occurreret, ratio temporis, loci, officii, & intentionis facile excusabit. Scripsit enim noster B. Author non pro juvenibus sed adultis, ut plurimum, & maximè hunc Librum Contemplationis inter Arabes & contra Saracenos eorumque errores suo tempore maximè grassantes, qui eò dementiæ delabebantur, quòd in alia
vita

vita quascunque sensualitates ciborum
& potuum aliasque carnales & obscenas
delicias centuplò multiplicandas
& nunquam cessaturas adstruerent,
itaque intentione evertendi hos
errores animalem hominem adeò placitè
attrahentes non poterat evitari,
quin ex ipsa rei natura maximam
& turpissimam inconvenientiam aut
impossibilitatem diversis modis com-
monstraret, imitans in hoc suorum
temporum & coætaneorum scribendi
licentiam, qua alii etiam extra præ-
dictas circumstantias fere magis nativè
de similibus rebus sine cujuscun-
que contradictione usque nunc ob-
mota palam differuere; pro cujus rei
evidedentiori testimonio videri pote-
rit Liber I. de Contemptu mundi,
quem Eminentissimus Lotharius Dia-
conus Cardinalis S. S. Sergii & Bachi

postea

postea Innocentius III. Pontifex Ma-
ximus ad Christianum Episcopum
Portuensem compilaverat, ubi *de Mi-
seria hominis, de Vilitate materiae, de Vi-
tio conceptionis, de cibo embryonis in utero
materno, de Imbecillitate infantis, de Do-
lore partus, & ejulatu infantis, de Nu-
ditate hominis &c. &c.* tot & talia
enarrat, qualia vix in nostro B. Au-
thore erit reperire; absit autem per
hoc Eminentissimum adeò & sanctif-
simum Scriptorem vel in minimo
reddere culpabilem, qui ipse Modera-
tor Christianorum Principum sui tem-
poris sæpe fuit vocatus; quem sanè
materiae tractandæ qualitas non mi-
nùs ac nostrum Raymundum loci
temporis ac muneris suscepti circumf-
stantiæ apud prudentiores & Castos
semper habebunt excusatum.

Quartum denique, quod reprehendunt,

dunt, vilipendunt, & contemnunt, est, quòd noster B. Author in hoc potissimum Libro Contemplationis nec bene, nec rectè, nec sapienter, nec utiliter fere omnibus & singulis paragraphis & numeris Capitũ præmittere soleat suas variatas invocationes, & exclamationes divini Nominis, ac attributorum & titulorum DEI, maximè cum subinde sequantur res exiguæ, tenues, leves, & viles; sed ad imitationem S. P. Augustini in suis Soliloquiis, Meditationibus & Manuali hoc facit, ut sua & legentium ac contemplantium memoria præmuniretur ad DEUM & divina continuo & incessanter memorandum & recolendum, intellectus ad credendum & intelligendum, voluntas ad sperandum & amandum, orandum, adorandum invocandum laudandum & benedicendum in rebus

per-

permagnis æquè ac exiguis; quod certè
nemo culpaverit, qui artis generalis
Lullianæ esset peritus: sciret enim &
evidenter cognosceret convenientiam
concordantiam, ac propinquitatem
generalium non solùm inter se & cum
magnis, sed cum ipsis quoque rebus
exiguis, in quibus ipsa etiam Majestas
DEI per omnipræsentiam suam non
dedignatur existere earundem Princi-
pium, Creator, sustentator & finis, nec
longè est ab unoquoque nostrum,
quia in ipso sumus, movemur & vi-
vimus, adeòque apparet maximus in
minimis Creator, in & ex quibus ipsum
salubriter invocare possumus & con-
templari. Neque, si in præsentì Libro
Contemplationis non omnia Nomina
Divina, attributa & tituli sapientissi-
mè & pientissimè essent comprehensa,
ipse in omni possibili universalitate

&

& perfectione minimè existeret, & ideo res exiguæ inductæ sunt propter magnas, ut ab illis ad has intellectus contemplando ascendat, & è conversò descendat. Cujus utilissimæ materiæ pleniorē artem & modum videre poteris in præclarissimo Libro nostri B. Authoris *De ascensu & descensu intellectus*: ad cuius Libri pœnam libenter provocamus. Quemadmodum ergò juxta Doctrinam ultimi Capitis de fine hujus Libri Parte 1. & 2. §. §. 2. 10. *Bonitas hujus Libri est major & melior in secundo Volumine, quàm in primo; & in tertio, quàm in secundo, ita oportet intellectum per primum Volumen præparari ad secundum, & per secundum ad tertium ascendendo ad cognoscendum sensualia remota per propinqua, & intellectualia propinqua per sensualia remota, & intellectualia remota per propinqua:*

Ex

Ex quo pater ordinatissima connexio
& intrinseca cohærentia Primi Tomi
cum secundo hujus Libri, Voluminis
cum Volumine, Capitis cum Capite,
& Paragraphi cum Paragrapho: Post-
quam enim Illuminatus Doctor in hoc
Primo Tomo quinque sensus corpo-
rales proportionavit, & habilitavit ad
serviendum quinque sensibus spiritua-
libus, quibus terminavit hunc Primum
Tomum, proinde his bene præparatis
& adaptatis ordinatè progreditur do-
cendo in secundo sequenti Tomo faci-
liorem ascensum altissimarum Arborù,
quæ sensibus corporalibus, maximè au-
tem spiritualibus, sunt totidem Viæ,
principia & Media cogitandi, percipi-
endi, conscientiosè, subtiliter, animo-
sè & fervidè contemplandi altissimas
& secretissimas Veritates de DEO Tri-
no & Uno, & de triplici Mundo na-
turali, morali, & supernaturali.





Muntener f.^t

BEATI

RAYMUNDI

LULLI

DOCTORIS ILLUMINATI

ET

MARTYRIS

MAGNVS LIBER

CONTEMPLATIONIS

IN DEVM

VOLUMEN I.

LIBER II.

DISTINCTIO X.

DE CREATIONE.

CAPUT XXX.

*Quomodo DEVS creauerit Creaturas ex nihilo.*i.
a.

*DEVS Pater & Domine
omnium! Tu bene scis,
quòd, sicut forma non
est subiectum mate-
riae, sic privatio non
fit subiectum rei essen-
tis;*

tis; nam, si privatio esset subjectum rei essentis, conveniret, quòd ipsa haberet *esse*, &, si haberet *esse*, non esset nihil nec privatio.

2. Lauderis & ameris Tu, *Domine DEVS*, qui vis, quòd privatio non sit principium ipsius *esse*; nec vis, quòd privatio sit materia rei habentis *esse*.

3. *Beate Domine*! Tu non creasti creaturas de tua Essentia, sed creasti eas ex nihilo; nam id, per quod nos cognoscimus, Te non creavisse creaturas de Te ipso, est, quia res movens non est insimul cum re mota in omni tempore; sed homo intelligit in omni re mota primum motorem priorem; nam, sinè motore non posset esse res mota: unde benedictus sis Tu, *Domine*, quia Te intelligimus esse primum Motorem.

4. b. *O Domine vere DEVS*! In ipsismet creaturis probatur, omnes ipsas esse creatas in hoc, quòd omnes res videamus subjectas tuo servitio: unde, cùm illæ sint subjectæ tuo servitio, convenit ipsas habere

habere principium; nam, si essent sine principio & essent æternæ, sequeretur, *Domine*, quòd essent liberæ, & quòd non essent ulli rei subjectæ.

5. In hoc, *Domine*, quòd æternitas Tibi est propria, probatur, quòd creaturæ sint creatæ ex nihilo; nam, cum nulla res sit æterna, nisi Tu, probatur, quòd ipsæ devenerint in *esse* de non esse.

6. *Amorose Domine, plene Gratiâ!* Si res habentes *esse* forent æternæ, non possent esse ordinatæ; nam, quoniam essent æternæ, non posset esse ordinator ante eas: Igitur, cum nos videamus res habentes *esse* ordinatas, probatur, *Domine*, ipsas habere ordinatorem ante se, qui es Tu, qui fuisti ante omnia.

7. c. *Domine misericors!* Reverentia & Honor cognoscatur tuæ magnæ Nobilitati; nam creasti creaturas ex nihilo; quia, antequam illæ essent aliquid, erant nihil, & ex nihilo, quod erant, fecisti eas esse aliquid.

8. Igitur,

4. *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*

8. Igitur, *Domine*, quando Tibi placuit creare creaturas, tunc voluisti creare tria simul, quæ sunt tempus & locus & *essentia* creaturæ; & ista tria creasti adeò insimul, quòd unum non fuerit prius in *esse*, quàm aliud.

9. Ista tria adeò sunt simul in creatura, quòd sit de sua natura unum non esse finè aliis; nam, ut aliquid sit in *esse* & non in *non esse*, convenit, *Domine*, quòd habeat locum, in quo stet, & tempus, in quo sit, & locus non posset creari finè tempore, nec tempus finè loco, nec locus & tempus finè re essente in loco, & in tempore: unde, quando creasti Angelos, creasti eis mundum pro loco, quamvis non occupent locum, & quando creasti creaturas corporales, creasti eis locum, qui occupatur ab eis.

10. d. *Misericors Domine, plene omni Sapientiâ!* Veritas & Virtus attribuatur Tibi & in Te, quia per tuam Voluntatem creasti omnia, quæ creasti; quoniam voluisti, quòd essent res, quæ non erant;
& quando

& quando voluisti, statim fuerunt.

11. Talis Voluntas & Potestas, qualis est tua, *Domine DEVS*, debet laudari & amari & ei serviri; & talis voluntas & potestas, qualis est nostra, debet contemni & poni in oblivione; quoniam omne, quod facimus & operamur, facimus & operamur manualiter & cum labore; sed, ut creares creaturas, non oportuit aliud, nisi Te velle, quòd esset in *esse* id, quod non erat, & statim fuit factum omne, quod voluisti.

12. Gloria & Virtus & perfectio Bonitatis cognoscatur in Te, *Domine DEVS*; nam, quia per Voluntatem creasti tot creaturas & tam differentes, per hoc potest intelligi, quòd, quidquid velis, possis creare & facere; cum ubi est tuum velle, ibi sit tuum posse.

13. e. *O Rex Regum & Domine Dominorum*: Si voluisses, potuisses facere, quòd ea, quæ sunt in *esse*, citius vel sciriùs fuissent in *esse*; & si velles, posses facere, quòd ea, quæ nondum sunt in *esse*,
jam

jam essent in *esse*.

14. Per hoc, quòd omnes creaturæ essent in *non esse* antequam eas creares, probatur *Domine*, quòd ipsæ non potuerint Te juvare, ut eas creares; nec potuerint Tibi resistere, ne eas creares; nam, quoniam nihil erant, non habebant potestatem juvandi tuam voluntatem, nec eidem resistendi; & ideo creati omne id, quod voluisti, quin Tibi fuerit factum adiutorium aut resistantia.

15. Rationabile est, *Domine*, quòd omnem Nobilitatem & omnem Bonitatem attribuamus tuæ Essentiæ; quia, quàm parùm tuæ Voluntati potest ulla creatura resistere antequam sit in *esse*, tam parùm potest ei resistere, quando est in *esse*: unde benedicta sit talis Potestas, qualis est tua tam nobilis & tam alta & tam virtuosa omnibus viribus.

16. f. *Humilis Domine, honorate, excellens, super omnes nobilitates nobilis!* Quando cogito, quòd creaturæ sint creatæ ex nihilo, mea anima deficit ad intelli-

telligendum, quòd hoc sit possibile; & deficit, quia secundum meam potestatem non potest intelligi; sed postea, quando cogito & perpendo tuam magnam Potestatem, intelligo, quòd possit fieri, dummodo velis.

17. Unde, quando in me cadit admiratio, quòd aliquid possit creari ex nihilo, cadit in me per defectum scientiæ & intellectus, quia non possum tantum scire & intelligere, quantum potes & vis facere; & quando de me disparet supradicta admiratio, disparet ideo, quia intelligo, quòd possis plus facere & creare, quàm possim scire & intelligere.

18. Unde benedictus sis, *Domine DEVS*, qui mihi dedisti intelligentiam tam securam, per quam affirmem, quòd possis creare aliquid ex nihilo, quamvis meus intellectus non possit clarè intelligere, quomodo hoc fiat, sicut intelligit, quomodo fiant res, quæ manualiter fiunt: unde, cum multi homines discredant ea, quæ non sciunt intelligere, facis mihi,
Domine,

Domine, valde magnam Gratiam, quando me facis affirmare & credere hoc, quod non scio intelligere.

19. g. *O Sancta Trinitas, una Unitas!* Benedicte sis; quia, cum creaveris omnia, dignum est, quod sola adoreris & ameris & timearis, & nihil ametur nec timeatur, nisi sub tuo amore & timore.

20. Nullus homo, *Domine*, debet dubitare, an deficiat Tibi ulla potestas; Nam quoniam habes tantam Potestatem, quod ex nihilo creaveris aliquid, apparet, quod omnia possis, quaecunque velis.

21. Quoniam, *Domine DEVS*, habes tantam Potestatem, nemo timeat perdere remunerationem pro eo, quod faciet; quia tantum potes, quod in omnibus rebus possis remunerare homines: cum, qui creat aliquid ex nihilo, bene possit glorificare homines, quomocunque velit.

22. h. *Supreme Domine, sapiens, dulcis & suavis!* Tu creasti Angelos ex nihilo, & posuisti eos in libera voluntate faciendi

di

di bonum : unde benedictus sis , quia est valde nobile creare Angelos ex nihilo , sed multò nobilius est ponere illos in libera voluntate , ut omne bonum , quod faciunt , faciant liberè.

23. Quando , *Domine* , creasti Angelos , qui nunc sunt dæmones , ipsi statim voluerunt esse similes Tibi , & voluerunt imitari Te in hoc , quòd voluerint facere devenire in *esse* id , quod non erat in *esse* ; nam ipsi voluerunt habere tantum valoris & honoris , quantum Tu , quem valorem non habebant ; igitur , quia voluerunt dare *esse* valori , qui non erat , nec erit in eis , propterea facti sunt dæmones.

24. *Beate Domine* ! Quando creasti hominem , post modicum tempus incepit repugnare tuo mandato , & fuit Tibi inobediens : unde secundùm hoc , quamprimum dæmon & homo fuerunt creati , statim se inclinaverunt ad *non esse* , quia opus , quod fecerunt , non conveniebat esse ; & quia fecerunt opus , quod habet respectum

tum ad *non esse*, monstratur ipsos devenisse de *non esse* ad *esse*: & quando operati sunt id, quod non conveniebat esse, statim fuissent deleti & reversi in *non esse*, nisi Tu, *Domine*, ut illos punires pro suis peccatis, sustinuisses eos, ne delerentur.

25. i. *Vere Rex Gloria!* Homines superbi & vani-gloriosi volunt facere devenire in esse id, quod non est; & hoc est, quia volunt laudari & amari & honorari & sibi serviri, sicut si essent digni: unde, quia volunt facere devenire in *esse* hoc, quod non convenit esse, volunt Tibi contrafacere in hoc, quòd velint dare *esse* rei, quæ non est in *esse*.

26. Quando homines mundani, *Domine*, volunt habere plus honoris & delectationis, quàm conveniat eis, faciunt contra se ipsos; quia, quò plus volunt honorari & appetiari, eò sunt viliores & deteriores, & hoc est, quia putant valere in illo gradu, in quo non valent.

27. Unde Gloria & Laus & Benedic-
tio

tio attribuatur Tibi, *Domine DEVS Creator noster*, quia creasti hominem, & homo est Tibi contrarius; & quamvis ipse Tibi contrarietur, tamen ei indulges & eum replet bonis temporalibus & spiritualibus.

28. K. *Grate Domine, plene Pietate!* Cúm me creaveris ex nihilo & me creaveris in humana natura, & ego per peccata sim factus vilissima creatura, precor Te, ut me reducas ad talem statum, quòd sim ita nobilis per opera, sicut sum nobilis per creationem.

29. Ego, *Domine DEVS*, deveni in tantam vilitatem per mea peccata, quòd omnem fragilitatem & omnem infaniam & omnem stultitiam & omnem miseriam conveniat cognosci de me & in me, quia pro nihilo oblitus sum mei Creatoris, & pro nihilo dis-amavi & offendi ipsum, quamvis scirem, quòd me creaverit ex nihilo.

30. Unde, cúm ego, *Domine*, sim ita culpabilis Tibi meo DEO & meo Creatori,

tori, non superest mihi aliud consilium, quàm poenitere peccatorum, quæ commisi, & petere veniam: quapropter peto à Te Gratiam, ut mihi parcas, & mihi des Gratiam poenitendi peccatorum, quæ feci contra Te, qui es meus Creator & meus DEUS.

CAPUT XXXI.

QUOMODO DEVS CREAVERIT primam Materiam.

1. **O** DEVS *honorate, Domine plene a. Gratiâ!* Benedictus sis, qui ex nihilo creasti primam materiam, quæ est materia, ex qua fiunt omnes res corporales.

2. *Beate Domine!* Tu dedisti primæ materiæ proprietatem recipiendi divisionem in animalia & vegetabilia & in genera & species & diversas formas & in individua.

3. Placuit Tibi, *Domine DEVS,*
quòd

quòd prima materia, quantum ad se ipsam, non crescat nec minuatur, sed tenes & conservas eam in illa quantitate, in qua eam creasti; unde id, in quo materia crescit vel minuitur, sunt individua composita ex ipsa.

4. b. *Potens Domine, plene omnibus viribus!* Amor & gratitudo & servitium fit Tibi, quia creasti primam materiam in tali statu, quòd sit subjecta duobus contrariis, quæ sunt forma & privatio formæ; nam materia individuorum recipit formam, & mutationem de una forma in aliam, quæ venit de privatione.

5. *Amabilis Domine!* Sicut prima materia est subjecta ad recipiendum duo contraria, scilicet formam & privationem formæ, ita ego sum subjectus ad recipiendum duo contraria, scilicet obedientiam in tuis mandatis & inobedientiam in eisdem; & quando recipio obedientiam, eam recipio per tuam gratiam, & quando recipio inobedientiam, eam recipio per meam naturam fragilem & miseram, quæ est parata

rata ad recipiendum omne malum.

6. Quoniam ego, *Domine*, sum subiectum paratum ad recipiendum tuam gratiam & benedictionem, precor Te, ut mihi des gratiam recipiendi tuum amorem, ut totaliter sim obediens tuis mandatis.

7. c. *Supreme Domine, pie Dator Glorie!* Primam materiam, quam creasti ex nihilo, intelligimus *duobus modis*, uno secundum sensualia, & alio secundum intellectualia: quando intelligimus eam secundum *sensualia*, intelligimus eam conjunctam cum forma; & quando eam intelligimus secundum *intellectualia*, intelligimus eam sine forma.

8. Quando accidit, *Domine*, quòd materiam intelligamus per sensualitatem, tunc intelligimus eam, quia assumpsit formam; nam, postquam assumpsit formam, convenit, quòd habeat corpus; & quando habet corpus, nostri quinque sensus corporales possunt eam sentire vel per visum vel per auditum vel per gustum vel per tactum vel per odoratum.

9. *Beate*

9. *Beate Domine* : Quando prima materia est privata formâ, nostri quinque sensus corporales non sufficiunt ad percipiendum eam, quia caret corpore, & tunc percipimus eam quinque sensibus spiritualibus; quia, quamvis ipsa non habeat formam, tamen quinque sensibus spiritualibus intelligimus eam esse in esse.

10. d. *Domine sapiens, plene omni Sapientiâ* ! Benedictio & Gloria cognoscatur Tibi, quia creasti primam materiam ad recipiendum compositionem & dissolutionem in individuis compositis, ut cum ipsa generares animalia & vegetabilia, & cum ipsa illa corrumperes & dissolveres: unde benedictus sis, qui posuisti primam materiam, ut sit subjectum ordinationis mundi, quæ ordinatio fit in ea.

11. Si Tibi, *Domine DEVS*, debet attribui Honor & Sapiencia & Bonitas, quia primam materiam fecisti subjectum ordinationis, mihi, quia me feci subjectum inordinationis, & me posui in via peccatorum, debet attribui omnis vilitas & omnis infamia.

infania & omnis contemptus.

12. *Domine vere DEVS!* Sicut fecisti primam materiam subjectum ordinatum ad omne bonum & ad omnem modum, per quem cognoscaris nobilis; ita ego me feci subjectum peccati & inordinationis: igitur debeo cognosci vilis & pauper, & Tu debes cognosci altus & nobilis Dominus.

13. e. Adeò es, *Domine*, supremus Artifex & plenus omni Sapientiâ, quòd, quidquid creasti & fecisti, sit plenum Sapientiâ & Ordinatione; quoniam posuisti tam magnam opportunitatem in prima materia ad recipiendum formam, quòd inde totus mundus fuerit ordinatus ratione ipsius opportunitatis.

14. Valde sapienter operatus es, *Domine DEVS*, & valde pulchram ordinationem fecisti, quando Tibi placuit, quòd prima materia esset una in omnibus individuis, & quòd formæ individuorum non procederent ab una forma, sicut procedunt ab una materia.

15. *Faciliter invenibilis Domine!* Benedictus sis; quia, sicut Tibi placuit creare primam materiam ex nihilo, ita Tibi placuit formam cujuslibet individui creare ex nihilo.

16. f. *O Domine JESU Christe!* Sicut voluisti, quòd prima materia esset subjectum formæ, ita voluisti, quòd tua Incarnatio & tua Passio & tua Mors essent subjectum nostræ Recreationis & nostræ vitæ perdurabilis.

17. Nam, sicut forma non posset esse in *esse* sinè materia, ita nostra redemptio & nostra salvatio non posset esse in nobis sinè tua Incarnatione & sinè tua Passione & Morte.

18. Et hoc est, *Domine*, quia tua Incarnatio & Passio & Mors sunt illa res, per quam fuit conveniens deleri primum peccatum, quod non posset deleri, nisi per Incarnationem, quam suscepisti in nostra Domina sancta MARIA.

19. g. Magna Virtus & Benedictio cognoscatur Tibi, *Domine DEVS*; quia, si-

B

cut

cut per conjunctionem materiæ & formæ fit individuum, ita per conjunctionem tuæ Deitatis cum Humanitate, quam assump-
fisti, facta est nostra Redemptio & nostra Salvatio.

20. *JESU Christe Domine!* Sicut materia & forma sunt res invisibiles, quando non sunt simul, nec possunt videri, quous-
que sint simul, ita conjunctio tuæ Deita-
tis cum Humanitate non est proficua illis,
qui in eam non credunt, nec potest videri,
nisi in eam credant.

21. Sicut materia, *Domine*, continet
in se omnes formas, ita vera fides est res,
per quam homini evenit omne bonum; &
sicut forma non posset sustineri sinè mate-
ria, ita nostrum bonum non posset esse sinè
vera fide.

22. h. *Amabilis Rex Gloria!* Sicut per
conjunctionem materiæ & formæ fit res
habens corpus, ita per moralem conjunc-
tionem, quam dæmon fecit cum primo
homine, fuit factum peccatum.

23. Et sicut materia, *Domine*, altera-
tur

tur in individuis ratione generationis & corruptionis, ita ratione peccati originalis est humana natura alterata ad peccata & ingratitude.

24. Primum peccatum, *Domine*, est occasio omnium nostrorum peccatorum in hoc, quòd per ipsum fuit corrupta in nobis prima materia.

25. i. *Domine magne & mirabilis* ! Sicut individuum compositum ex materia & forma evanescit & deletur, quando forma & materia separantur, ita deletur & evanescit peccatum, quando peccator accedit ad tuam Misericordiam per pœnitentiam suorum peccatorum.

26. Unde, cùm hoc ita sit, *Domine*, quando erit tuum placitum, quòd mea peccata deleantur per veram confessionem & per veram pœnitentiam & per unionem mearum cogitationum cum tua Bonitate & cum tua magna Misericordia?

27. *Invocate Domine, regnans super omnia regna* ! Nunquam reputabo deleta mea peccata, donec videam mutata mea opera & meam

& meam intentionem; quoniam video, quòd per opera & per vanam intentionem, quam habui, sint multiplicata mea peccata, & conveniat, quòd minuantur per contraria opera & per contrariam intentionem.

28. K. Perdurabilitas Honorificentiae & Domini cognoscatur Tibi, *Domine DEVS*, qui es propinquior & remotior motor mei *esse*, sicut aqua est remotior motrix molen-
dini; quoniam in hoc, quòd creasti primam materiam, quæ est causa elementorum, ex quibus sum compositus, es primus Motor & primus Dator mei *esse*.

29. Quamvis, *Domine*, sis primus Motor mei *esse*, & primus Dator, & remotior Motor, precor Te, ut in meo exitu de hoc mundo mihi sis adeò propinquus, quòd mihi non sit alius propinquior Motor & propinquior Adjutor, ut Tecum me perducas ad tuam benedictam Gloriam.

30. Quamvis sim, *Domine DEVS*, propinquior motor mei in peccato & ingratitude, non propterea me derelinquas
nec

nec obliviscaris mei in tua Gloria, quoniam me do Tibi, & confido in tua Misericordia & in tuo Adjutorio, qui es meus Dominus & meus DEUS.

CAPUT XXXII.

QVOMODO DEVS CREAVERIT

Firmamentum.

1. **D**EVUS Creator, Pater & Domine
a. **D**universorum, quæ sunt! Quando creasti primam materiam ex nihilo, divisisti eam in *quinque* partes, & voluisti *quatuor elementa* esse ex quatuor partibus, & *firmamentum* ex quinta parte.
2. Quintam partem voluisti, *Domine*, esse subtiliorem materiam & lucidiorem & nobiliorem & pulchriorem aliis; & quia, fuit nobilior aliis, voluisti, quòd concluderet intra se omnes alias partes.
3. O Pater Domine! Adeo creasti materiam, ex qua fecisti firmamentum, in magna subtilitate & puritate & simplicitate,

tate, quòd firmamentum inde devenerit incorruptibile & impassibile & finè omni alteratione.

4. b. *Iuste Judex*, in quo est omnis *Sapientia*: Tu voluisti quintam essentiam esse in majore simplicitate, quàm quatuor elementa: unde, quamvis firmamentum, *Domine*, sit compositum ex materia & forma, tamen sua essentia est simplicior, quàm ulla alia essentia corporalis.

5. Honor & Gloria attribuatur Tibi, *Domine DEVS*; quia divisisti materiam in tria corpora, quorum unum habet levitatem, hoc est *ignis & aer*; aliud ponderositatem, hoc est *terra & aqua*; & aliud temperamentum ex levitate & ponderositate, hoc est *firmamentum*.

6. Tua Sapiencia, *Domine*, ordinavit quædam corpora cœlestia esse velociora aliis, & quædam esse digniora aliis; quia sic fuit conveniens ordinari ratione ordinationis, quam ab ipsis recipiunt corpora elementata.

7. c. *Domine large gratiose*: Tu ameris
& ho-

& honoreris, qui creasti firmamentum in tanta quantitate magnitudinis corporalis; quia talis magnitudo fuit conveniens loco, in quo Angeli & homines justi glorificarentur in tua præsentia.

8. Illi, qui merentur habere gloriam, convenit, *Domine*, quòd sint in nobiliori & pulchriori loco, quàm sit ullus alius locus; quia, sicut plús amas homines justos, quàm injustos, ita convenit, quòd illos magis honores loco & donis, quàm ullos alios.

9. *O Rex Gloria!* Cúm ego sim locus, in quo vitia & peccata sunt introducta, & sim vilis & immundus per ipsa, mihi videtur, quòd non sim dignus intrare in firmamentum; quia, si in illud intrarem, mea immunditia conspurcaret ipsum.

10. d. *O suavis Domine, plene Misericordiâ!* Laus & Bonitas cognoscatur esse in Te; quia creasti in firmamento corpora splendentia & luminosa, ut dent nobis hìc inferiús existentibus splendorem & lumen, per quod habeamus diem & noctem & horas

horas & septimanas & menses & annos.

11. *Amabilis Pater!* Sicut ornasti firmamentum planetis & stellis, similiter ornasti & decorasti terram & habitantes in ea Prophetis & hominibus justis, qui illuminaverunt & direxerunt homines ad vitam perdurabilem.

12. Unde, benedictus sit talis Operator & talis Artifex, qualis es Tu; nam, sicut es Creator nobilis & plenus omni Sapientiâ, ita tuum Opus est pulchrum & ordinatum & plenum omni pulchritudine.

13. e. *Domine major & melior Amator omnium bonorum!* Adeò est tuum Opus magni artificii & ordinationis, quòd volueris esse in firmamento signa & planetas, per quos regantur & ordinentur corpora elementata inter nos existentia.

14. Cùm Tu, *Domine DEVS*, sis totus Sapiens & totus Justus, vis, quòd corpora firmamenti habeant potestatem & dominium super corpora elementata, & hoc vis, quia firmamentum est nobilioris naturæ,

turæ, quàm elementata.

15. Sicut voluisti, *Domine*, quòd corpora firmamenti habeant dominium & actionem super elementata, ita voluisti, quòd inter homines quidam sint majoris potestatis & majoris domini, quàm alii, ut sit ordinatio, per quam Te amemus & Tibi serviamus plús, quàm ulli alteri rei; sed illi, quos in majori gradu posuisti, sunt qui per peccatum ponunt mundum in majori inordinatione.

16. f. *Singularis Domine, fortis super omnes fortitudines!* Firmamentum repræsentatur nostris oculis adeò pulchrum & splendens, & nostræ rationalitati adeò ordinatum & perfectum in operatione, quòd nobis significetur in pulchritudine & ordinatione ipsius Te esse Dominum valde magnæ Nobilitatis & valde magnæ Bonitatis; quia, si tuum Opus est tam pulchrum & tam bene ordinatum, quantò plús es Tu nobilis & plenus omni Bonitate?

17. Quamvis firmamentum, *Domine*, significet Te esse valde nobilem & valde bonum

bonum Creatorem, tamen sumus adeò occupati in istis temporalibus rebus, quòd propterea ignoremus & obliviscamur tuæ Nobilitatis & tuæ Bonitatis, quæ demonstratur in tuis Operibus.

18. *O Domine DEVS!* Cùm meam faciem converterim ad vilia opera, & ceciderim in lutum & cœnum luxuriæ & vanæ gloriæ, & in creaturis non voluerim cognoscere tuam Bonitatem; valde sum Tibi culpabilis & valde debeo timere tuam Justitiam.

19. g. *O Domine DEVS, qui audis angustiatos, & parcis petentibus Misericordiam!* Quoniam creasti firmamentum, quod est tam pulchrum & bonum, ut sit locus, in quo sint homines & possideant æternam Gloriam; quare igitur homines faciunt aliud, nisi Te amare & laudare & honorare & Tibi servire ex omni sua potestate?

20. Si contingat, *Domine*, quòd aliquis homo recipiat donum ab alio sive equum sive villam sive castellum sive quodcunque

Cunque aliud donum, statim incipit illum amare & laudare, & cognoscit se obligatum ei pro dono; & quò majus est donum, eò magis obligatum se æstimat.

21. Unde, cùm, *Domine*, tam magna dona dederis hominibus, quomodo possumus esse tam ingrati, quòd erga Te non habeamus illam gratitudinem & amorem, quem habent homines erga illos, qui eis donant? nam bene apparet verum, quòd, cùm simus grati pro donis vilibus & finitis, deberemus esse grati pro donis nobilibus & infinitis.

22. h. *O Domine videns omnia, & Factor & Formator omnium creaturarum!* Quoniam Tibi placuit ornare firmamentum luminibus & splendoribus, utinam placeret Tibi ornare & illuminare terras sanctis hominibus, qui dirigerent & illuminarent homines euntes per tenebrosas vias.

23. Justi homines, *Domine*, sunt in tam modica quantitate inter injustos, quòd quasi perditum sit lumen, per quod homo pervenit ad veram vitam, quia non est, qui
lumen

lumen ferat per tenebrosa loca.

24. Unde, sicut est conveniens, *Domine*, quòd bonus Rex ametur & laudetur & timeatur per omnes suas Regiones, ita, si Tibi placeret, esset conveniens, quòd essent multi homines portantes lumen & splendorem per omnes terras, ut terræ illuminarentur taliter, quòd in eis non esset abscondita via, per quam homo pervenit ad verum lumen.

25. i. *Faciliter invenibilis Domine, virtuose, Fons Pietatis!* Sanctitas & Gloria & Gratia Tibi cognoscatur & attribuatur; quoniam, sicut creasti solem in medio firmamenti ad illuminandum & calefaciendum terram; ita voluisti ponere sanctam Crucem in terra ad illuminandos cœcos & ad calefaciendum corda Catholicorum.

26. *O Domine humilis!* Terra non resistit lumini solis nec calori, imò finit se illuminari & calefieri in quantum sol vult; sed homines resistunt Cruci, ne eis det lumen & calorem: unde ista repugnantia nascitur

nascitur in nobis ratione peccatorum, quæ nos in frigidant & excœcant.

27. *O Domine!* Si in brevi non succurras nostræ stultitiæ & iniquitati, & eam non deleas in nobis, omnes sumus perditæ & extra veritatem, & omnes sumus excœcati ratione magnæ discognitionis, quæ est in nobis.

28. K. *Humilis Rex Gloria!* Tu creasti firmamentum & posuisti nos in medio loco ipsius, & fecisti valde magnum spatium inter nos & cœlos.

29. Unde, cùm ego sim in terra, & per peccata sim factus valde ponderosus & valde piger ad ascendendum in tam altum locum, sicut est firmamentum; quid erit de me, *Domine*, & ubi inveniam scalam, per quam possim ascendere in tam alta loca?

30. Talis scala, *Domine*, non invenitur, nisi amoribus & suspiriis & lachrymis & ploratibus & doloribus de suis peccatis, & laudibus sui Creatoris; unde beati sunt, qui omnibus istis rebus inquirunt, quomodo

30 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
modo possint ascendere ad suum Domi-
num DEUM.

CAPUT. XXXIII.

QVOMODO DEVS CREAVERIT
Elementa.

1. **D**EVUS *glorioso* ! Benedictus sis, qui
a. **D**creasti quatuor elementa ex prima
materia, & voluisti ea creare de grossiori
materia, quàm sit materia, ex qua creasti
firmamentum.

2. Tu creasti, *Domine*, quatuor ele-
menta in tali dispositione, quòd quædam
sint grossioris materiæ, quàm alia; & vo-
luisti, quòd quædam contrariantur aliis
& habeant diversa corpora & diversa loca,
& voluisti, quòd unumquodque habeat
suum locum appropriatum.

3. Et, quia ignis est subtilioris mate-
riæ, quàm aer, voluisti, *Domine*, ignem
esse supra aerem; &, quia aer est subtilio-
ris materiæ, quàm aqua, voluisti aerem
esse

esse supra aquam; &, quia aqua non est tam grossæ materiæ, sicut terra, voluisti aquam esse supra terram, quæ est infimum elementum.

4. b. Tibi, *Domine DEVS*, attribuat^{ur} Durabilitas, Honorificentia & Gloria; quia creasti quatuor qualitates, quæ sunt in quatuor elementis, & cuilibet elemento appropriasti suam qualitatem; nam fecisti ignem esse calidum, & aerem humidum, & aquam frigidam, & terram siccam.

5. Placuit Tibi, *Domine DEVS*, quamlibet istarum quatuor qualitatum habere suum subjectum, in quo sustentetur; & voluisti quamlibet qualitatem esse de necessitate in suo subjecto, & esse ei essentialem qualitatem & voluisti subjectum esse essentialiale suæ qualitati.

6. *Amorose Domine, plene Veritate!* Sicut cuilibet qualitati dedisti suum subjectum, precor Te, ut Tibi placeat, quòd similiter tuus servus faciat suum cor subjectum tui amoris & tuæ laudis & tuæ honorificentia; & nulla alia res sit in illo, nisi

32 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
nisi tuus amor & tua laus & tua bene-
dictio.

7. c. *Recognoscens Domine plene pietate!*
Tu ameris & lauderis, qui divisisti quatuor
qualitates in hoc, quòd duas feceris esse
activas, & alias duas esse passivas; quoniam
voluisti caliditatem & frigiditatem esse ac-
tivas, & humiditatem & siccitatem esse
passivas.

8. Laudetur & benedicatur, *Domine*,
tuum Opus; quia, ut qualitates essent or-
dinatæ, voluisti, quòd inter se ipsas con-
catenarentur & ligarentur, quæ conca-
tenatio & ligatio fit in eis, quia ignis est
calidus per se ipsum & siccus ratione terræ,
& aer est humidus per se ipsum & calidus
ratione ignis, & aqua est frigida per se ip-
sam & humida ratione aeris, & terra
est sicca per se ipsam & frigida ratione
aquæ.

9. Unde Sapientia & Virtus & Scien-
tia cognoscatur & attribuatur Tibi, *Domine*
DEVS, qui creasti qualitates & subjecta
earum in tam ordinata dispositione; nam
per

per ligationem, quam fecisti inter elementa, concordant & componuntur & uniuntur ipsa & suæ qualitates ad invicem.

10. d. *O Virtuose Domine, perfecte in Sanctitate & Bonitate!* Nobilitas & Perseverantia cognoscatur Tibi; quia voluisti, quòd quælibet qualitatum sit in actione in suo elemento; & hoc est, quia ignis est simplex, in quantum calor in eo est actualiter; & sicut ignis est calidus actualiter, sic aqua est frigida actualiter, & aer est humidus actualiter, & terra est sicca actualiter.

11. Unde, quando, *Domine*, vis, quòd elementa simplicia intrent in compositionem, accipis aliquas partes & quantitates de ipsis, & jungis & misces eas insimul, & facis eas componere se per concordantiam quatuor qualitatum, & per istam convenientiam deveniunt corpora vegetabilium & animalium in *esse*, & sunt corpora composita elementata.

12. *Gloriose Domine!* Quando fecisti elementa intrare in compositionem in corporibus

C

poribus

poribus animalium & vegetabilium, finis ea esse in illa compositione, quamdiu vis; & postea, quando vis, facis ea discomponi & corrumpi in sua convenientia, & tunc quodlibet elementum compositum revertitur ad suum simplex.

13. e. *O Domine magne, O Domine fortis!* Tu voluisti, quòd ex quatuor elementis duo sint levia, & duo gravia; & hoc, ut ignis & aer habeant motum sursum ratione levitatis; & aqua & terra habeant motum deorsum ratione gravitatis.

14. *Sapiens Domine pie, plene Gratiâ & Veritate!* Tu voluisti istam levitatem & gravitatem esse in quatuor elementis, ut essent pluvia & venti & nives & tonitrua & fulgura & nubes; quia ratione levitatis & gravitatis, quæ est in elementis, eveniunt omnia ista secundum cursum naturæ.

15. Nam in hoc, quòd locus superior contrarietur inferiori, *Domine*, elementa levia intrantia in compositionem cum gravibus hinc inferius requirunt reverti ad loca
alta,

alta, & ascendunt ; & elementa gravia requirunt reverti ad inferiora loca , & descendunt.

16. f. *Dominans Domine super omnes vires & super omnia Dominia !* Quando fecisti elementa simplicia intrare in compositionem , voluisti , quòd quædam corpora , in quibus componuntur , essent ante alia ; & voluisti , quòd quædam conjungerentur cum aliis , & quædam miscerentur cum aliis , & quædam tangerentur ab aliis.

17. Unde, benedictus sis , *Domine DEVS* , quia per istam participationem , quæ fit in elementis , & per proprietatem qualitatium & subjectorum earum , individua generantur & corrumpuntur in se ipsis.

18. Unde Sanctitas & Virtus & Gloria attribuatur Tibi , *Domine DEVS* ; quia valde alta & mirabilis est ordinatio , quam fecisti in animalibus & in vegetabilibus per ordinationem , quam dedisti qualitatibus elementorum & subjectis earum.

19. g. *O Domine humilis, O Domine vere!* Cúm sim compositus ex quatuor elementis, inter quæ ignis est unum, quomodo potest esse, quòd non sim similis in proprietate igni?

20. Nam, sicut ignis, *Domine*, habet proprietatem calefaciendi omne id, quod participat cum eo, ita, si essem similis igni, calefacerem tuo amore meum cor & cor mei proximi, quæ sunt frigida per defectum amoris.

21. Convenit, *Domine*, quòd attribuiam meo cordi omnem vilitatem & omnem miseriam & omnem fragilitatem, quia non scit tantum valere, quòd calefiat in tuo amore & in tua virtute, sed tanquam debile est totum frigidum, per quam frigiditatem sunt omnia mea membra frigefacta, & venerunt ad impotentiam.

22. h. *O Amate Domine, sanctificate, culte & celebrate!* Valde magna est mea admiratio, quia, cúm sim compositus ex aere, qui habet proprietatem humiditatis, videtur mihi, quòd mei oculi deberent esse
humidi

humidi lachrymis, & meum cor non deberet habere tantam crudelitatem, quantam habet.

23. Cúm sim compositus ex atomis, quæ sunt mobiles per aerem, unde venit mihi, *Domine*, ista pigritia, quam sentio in me, per quam sum piger in movendo me ad tua Opera, & in precando & honorando & laudando Te?

24. *O JESU Christe Domine!* Sicut status naturalis non movetur per suam naturam, sed movetur per aliam naturam extra ipsam, ita pigritia, quam habeo in amando Te & in ferviendo Tibi, non venit à natura, quam posuisti in me, sed convenit, quòd veniat ab alia re, quæ est peccatum, quod accidentaliter in me natum est, ratione cujus meum cor est plenum crudelitate, & mei oculi sunt sinè lachrymis.

25. i. *Liber Rex Amorose!* Cúm me creaveris ex aqua, & me multum obligaveris ad amandum & honorandum Te, quomodo potest esse, quòd mei oculi non decurrant lachrymis & non plorent tuam Passionem

sionem & mea peccata, quousque tota mea facies & omnia mea vestimenta madefiant lachrymis?

26. *O Domine pie & misericors!* Cùm sim compositus ex aqua, & sim adeò obligatus tuæ Passioni, videtur mihi in me non esse ullam excusationem, quando in meis oculis non sunt lachrymæ decurrentes usque ad terram, & madefacientes omnes pilos meæ barbæ.

27. Nulla herba potest habere tantam indigentiam aquarum cœli, quantam habent mei oculi lachrymarum; nam, si herbæ & plantæ habeant indigentiam pluviae medio anno vel integro, adhuc possunt reviviscere, sed mei oculi habuerunt indigentiam ploratum toto tempore meæ vitæ, quia nunquam plorarunt lachrymas, quibus anima mundaretur à peccatis; & meum cor non tantum desideravit lachrymas in meis oculis, quantum desideravit pluviam in campis.

28. K. Tu Rex Regum, creasti me ex terra; & quòd hoc ita sit in veritate, in
meis

meis operibus, *Domine*, demonstratur; quia totum meum cor fuit in terra, & omnia opera mearum manuum fuerunt opera terræ, & meus lectus, in quo quiesco, est in terra.

29. Tu, *Domine*, lauderis & colaris & benedicaris; nam, quia habeo in me majorem quantitatem terræ, quàm alicujus alterius elementi, propterea factus sum vilis & malus in hoc, quòd me inclinaverim ad opera terræ accidentaliter per vias peccatorum.

30. Qui vult audire mirabilia, *Damine*, audiat ista de me, qui sum terra in majori quantitate; quia, cùm terra sit vilius elementum & grossius & gravius, unde venit in me superbia, & vana gloria, & oblivio tuæ Essentiæ, & tuæ Passionis? & unde venit, quòd magis amaverim meum *esse*, quod est terra, quàm tuum, quod est *Esse* divinum?

CAPUT

**QUOMODO DEVS CREAVERIT
Metalla.**

1. **D**EVUS, cui sit Laus, amor, honor,
a. & servitium! Tu creasti metalla
ex materia elementalī, quam creasti ex
prima materia.
2. Benedictus sis, Domine DEVS,
qui creasti quædam metalla fortiora aliis,
& quædam pulchriora & meliora aliis; &
voluisti quædam esse talis naturæ, quòd
possint fundi & cudi & extendi, & alia
talis naturæ, quòd non fundatur nec cu-
dantur nec extendantur.
3. Sapiens Domine, plene Gratiâ! Tu
ameris & gratificeris, qui voluisti, quòd
metalla, quæ sunt majoris necessitatis, in-
veniantur in majori quantitate, quàm alia;
& voluisti, quòd homo ea habeat minori
pretio, quàm alia.
4. b. O Domine fortis misericors! Omnis
Sapientia & omnis Nobilitas attribuatur
Tibi,

Tibi, qui voluisti, quòd metalla habeant tales proprietates & talem naturam, quòd homines ab eis possint sumere servitium; nam, si ferrum non esset, homo non haberet, quo posset scindere, nec quo posset dolare, & multa alia operari; &, si non esset aurum & argentum, non fierent mercaturæ, nec congregarentur thesauri nec pulchra ornamenta, &, si non esset sal, cibi non essent sapidissimi.

5. *O liber Domine, honorate!* In hoc, quòd creaveris metalla talium proprietatum & talis naturæ, significatur nobis, quòd ea creaveris propter necessitatem hominum, & non propter necessitatem ipsorummet metallorum.

6. *O Pater Domine!* Cùm creaveris metalla ad serviendum hominibus, homo dives avarus valde debet reprehendi, quia ponit totam suam intentionem & suum amorem in divitiis, & non respicit intentionem, propter quam hominem fecisti dominum divitiarum; quoniam Tu non dedisti hominibus divitias, ut sint divites, sed

sed ut Tibi ferviant cum ipsis.

7. c. *Domine bone, Domine large, plene omnibus bonis*: Cúm creaveris aurum & argentum & lapides pretiosos ut multi homines inde ditentur, unde venit, quòd quilibet homo vellet habere omne aurum & argentum, quod est in mundo? hoc videtur mihi valde magna dis-cognitio, quòd divideris thesaurum inter multos homines, & quilibet eum velit habere totum.

8. Ista dis-cognitio, *Domine DEVS*, est in homine ratione magnæ cupiditatis & vilitatis, quam habet in se ipso; nam homo est tam vilis & cupidus, quòd vellet esse sui solius id, quod est commune, & nullum alium habere partem, nisi ipse.

9. Cupiditas & avaritia, quæ est in nobis, *Domine*, est valde magna; quia, quamvis omni homini sufficiat comedere uno ore, & vestiri uno vestimento, & equitare in una bestia, & jacere in uno lecto, tamen homines sunt ita cupidi, sicut si possent comedere multis oribus, & uti in uno tempore multis vestimentis & multis bestiis & multis

multis lectis.

10. d. *O Rex nobilis, gloriose!* Sicut aurum & argentum invenitur in terra, ita, *Domine*, cor avari invenitur nocte & die in thesauro terræ.

11. *Pie Domine!* Sicut thesaurus spiritualis invenitur in hominibus quærentibus regnum cœleste, ita thesaurus hominum justorum invenitur in contemplatione, quam habent in divitiis spiritualibus.

12. Cùm supremus thesaurus sit in regno cœlorum, tuus servus Te orat, *Domine*, & precatur & supplicat, ut suum thesaurum facias esse in cœlis; & ei non permittas, quòd suum cor appetat thesauros mundanos.

13. e. *O Domine sancte, gloriose!* Propter istum thesaurum, quem creasti in terra, multi homines proficiscuntur de uno loco in alium, & eveniunt eis multi labores, & multi timores; & multi homines propter aurum & argentum deprædantur, & ignominiantur, & occiduntur.

14. *O Rex Regum!* Quot homines fi-
unt

unt propter aurum & argentum falsi & proditores & fures & homicidæ? & quot homines, *Domine*, fiunt propterea tristes & anxii & plorantes?

15. Cúm iste thesaurus mundanus habeat tantam potestatem in homines, licet sit res transitoria & finita, quomodo potest esse, *Domine*, quòd propter Te, qui es Dominus infinitus & perdurabilis, homines non faciant tantum, quantum faciunt propter aurum & argentum?

16. f. *Rex Regum, fortis super omnes potestates*: Tu creasti metalla, ut homines eis communiter utantur, sed cupiditas hominum est tam magna, quòd quilibet velit facere sibi proprium id, quod dedisti in communi.

17. *Excellentis Domine*; si nos uteremur auro & argento & aliis thesauris secundum modum, quo eos nobis dedisti, non plorarent pauperes præ fame & siti, nec præ nuditate.

18. Imò distribueremus thesauros, *Domine*, ita communiter, quòd daremus pauperibus

peribus tantum de ipsis, quousque non haberent famem, nec sitim, nec frigus per defectum divitiarum.

19. g. *O Domine sancte potens!* Videtur mihi thesaurum hujus mundi non esse omnibus communem, imò esse malè divisum; sed thesaurus omnibus communis es Tu, *Domine.*

20. Nam Tu, *Domine*, es Thesaurus omnibus hominibus communis in tantum, quòd, quicumque velit, possit habere partem in Te, & possit habere Te totum, & habere in Te omne, quo indiget, & omne, quod ipsi est necessarium.

21. Valde miror, *Domine*, de ignorantia hominum, qui ita diligenter laborant ad accumulandum & conjungendum thesaurum hujus mundi, qui est divisus per diversas partes in multis hominibus, & per diversa loca, & non sunt diligentes de thesauro divino, qui est paratus omni homini, ut inde possit accipere, quantum velit.

22. h. *O Domine DEVS, qui das libentius,*

tiús, quám nos recipiamus! Cúm dederis tam magnam copiam thesaurorum in hoc mundo, si homines essent veraces & justi, bene sufficerent omnibus hominibus: sed, quia plerique sunt cupidi & congregatores thesaurorum, propterea contingit, quòd magni thesauri non sufficiant pauperibus, quia divites magis amant eos congregare, quàm erogare pauperibus; & propterea pauperes habent penuriam thesaurorum, quamvis sint creati in magna quantitate.

23. Quòd thesauri mundani non sufficiant omnibus hominibus, contingit, *Domine*, quia sunt finiti, terminati, & malè divisi: igitur, cúm thesauri mundani non possint sufficere omnibus hominibus, convenit, quòd sis thesaurus sufficiens omnibus illis, qui à Te volunt capere vitam.

24. *Amorose Domine!* Nullus thesaurus creatus habet virtutem & proprietatem dandi sufficientiam homini veraciter, & hoc est, quia est creatus; & nulla res creata potest

potest dare sufficientiam : unde convenit, quòd Tu sis thesaurus satians homines, quia es æternus & infinitus sinè omni defectu.

25. i. *O Domine, Factor & Principiator omnium rerum!* Melius est homini famelico & sitienti, si inveniat unum panem & unum urceum aquæ, quàm si inveniat aurum vel argentum vel alium thesaurum, postquam non invenit panem vel aquam ad emendum.

26. Igitur homini cupido, avaro, ditato auro & argento, quando moritur, & vadit in infernum, in quo invenit famem & sitim & dolores caloris & frigoris, quid prodesset, *Domine*, si ibi inveniret aurum & argentum, quod congregavit in hoc mundo, cum aurum & argentum naturaliter non tollant calorem nec frigus nec famem nec sitim?

27. *Beate Domine!* Avaro diviti opus esset in hoc sæculo non invenisse divitias, quas dedisti & distribuisti in communi, & ipse appropriavit sibi ipsi; quia appropriatio,
tio,

tio, quam fecit in hoc mundo de divitiis communibus, est ei causa paupertatis perdurabilis in diversis pœnis.

28. K. *Excellent Rex Gloria!* Ratione thesaurorum, quos creasti super faciem terræ, convenit Te laudari & amari & coli & benedici ab hominibus; veruntamen multò magis convenit Te honorari & laudari & benedici ab ipsis ratione thesaurorum virtutum, quos creasti in hominibus justis.

29. Quia aurum & argentum est thesaurus, qui parùm durat, ideo est thesaurus, qui parùm valet secundùm veritatem; sed thesaurus Virtutum, *Domine*, est thesaurus valde nobilis & valde bonus; quia sanat & præservat homines à perdurabilibus languoribus, & dat perdurabiles honorificentias.

30. Iste thesaurus adeò beatus, *Domine*, invenitur & congregatur dando laudes de Te & memorando tua mandata & confidendo in tuo adjutorio & recolendo tuam Bonitatem Divinam.

CAPUT

QVOMODO DEVS CREAV-
rit Vegetabilia.

1. **O** DEVS, *honorate Domine!* Be-
a. nediectus sis Tu, qui creasti vegeta-
bilia ex elementis, & ea divisisti in diver-
sas figuras & in diversas species; & placuit
Tibi, quòd quodlibet eorum sit in pro-
prietate & natura, quam appropriasti suo
generi & suæ speciei.

2. Ratione magnæ Sapientiæ, quæ est
in Te, *Domine*, placuit Tibi creare vege-
tabilia in ordinata dispositione, quam ha-
bent; quia ea creasti in diversis figuris, &
in diversis quantitatibus, & in diversis
proprietatibus: nam alia sunt arbores &
alia herbæ & alia sunt levia & alia gra-
via & alia sunt recta & alia obliqua.

3. Etiam voluisti, *Domine*, quòd alia
vegetabilia haberent folia toto anno, &
alia non; & voluisti, quòd alia florent
& fructificarent; & alia nec florent nec

D

fructi-

fructificarent ; & voluisti, quòd alia haberent bonum odorem & bonum saporem, & alia non haberent nec bonum saporem nec bonum odorem.

4. b. *Humilis Rex Gloria!* Quando creasti vegetabilia, appropriasti cuilibet eorum qualitatem ei convenientem; & ideo quædam sunt calida & sicca, & alia calida & humida, & quædam frigida & humida, & alia frigida & sicca.

5. Etiam placuit Tibi, *Domine*, quòd quædam vegetabilia essent dulcis saporis, & alia amari; & quædam essent dura, & alia mollia, & quædam essent aspera, & alia lenia.

6. *Honorate Domine!* Quædam vegetabilia creasti, ut sint hominibus conservatio sanitatis; & alia talis naturæ, quòd generent in hominibus infirmitates; & voluisti, quòd quædam vegetabilia invenirentur in locis planis, & alia in montibus; & quædam invenirentur in regionibus calidis, & quædam in frigidis, & alia in temperatis.

7. b.

7. b. *Liber Domine, qui vivificas & mortificas quos vis!* Benedictus sis Tu, qui creasti quodlibet vegetabile in proprietate & qualitate, per quam suum tempus scitur in anno.

8. Nam quædam vegetabilia veniunt, *Domine*, uno tempore, & alia alio, & quædam renovant quolibet anno folia, flores & fructus, & quædam renovant radices & branchas & folia & flores & fructus, & quædam generantur singulis annis, & quædam invicem inferuntur alia in aliis, & quædam non florent, & quædam non fructificant.

9. Omnes istas diversitates posuisti in vegetabilibus, & adhuc plures; unde benedictio & amor & servitium sit Tibi, *Domine DEVS*, quia creasti vegetabilia in tam diversis speciebus & in tam diversis proprietatibus; nam omnes species & proprietates, quas posuisti in vegetabilibus, sunt conducentes ad vitam humanam, & sine eis homo non posset bene vivere.

10. d. *Gloriose Domine honorate!* Tu creasti

creasti aliqua vegetabilia in tali dispositione, quòd conveniat ea conservari & sustineri in sua specie ab homine; quia, nisi esset homo, non possent durare, cùm finè cultura non possent nasci nec florere nec fructificare; & alia vegetabilia creasti, quæ non indigent culturâ, nec quòd homo curet de eis, quia per se ipsa nascuntur & conservantur in sua specie.

11. Lauderis & ameris, *Domine DEVS*, qui voluisti, quòd quædam vegetabilia sint hominibus majoris necessitatis, quàm alia; & voluisti, quòd quædam sint majoris utilitatis hominibus, quàm aliis animalibus.

12. *Grate Domine!* Adeò magna est Sapiencia, quam habes, quòd per eam sint creata quædam vegetabilia in meliori sapore, quàm alia; & quædam in meliori odore, quàm alia; & quorundam semina sint magis durabilia, quàm semina aliorum; & similiter quorundam fructus sint magis durabiles, quàm aliorum.

13. e. *O JESV Christe Domine!* Sicut
arbor

arbor renovatur in tribus rebus, scilicet in *folio, flore, & fructu*; ita renovasti arbor-rem, in qua mortuus es, cum tribus rebus, cum divina *Essentia*, & cum tua hu-mana *Natura*, & cum *Morte*, quam susce-pisti in ea.

14. Laudes & gloriæ & honores cog-noscantur Tibi, *Domine DEVS*; quia per ascensionem, quam tua sancta Humani-tas fecit in Crucem, renovatus fuit totus mundus,

15. Et per inclinationem, quam Adam noster Pater fecit ad peccatum, invetera-tum & induratum fuit cor hominum in peccato.

16. f. *O Domine misericors!* Tu lauderis & gratificeris, qui fuisti memor peccato-rum; quia, sicut posuisti in arbore fructum, ut corpus hominis capiat ex eo vitam, ita posuisti in Arbore sanctæ Crucis tuum Cor-pus, ut sit salvatio & gloria nostrarum animarum.

17. *Pie Domine!* Sicut voluisti, quòd aves volitent & lætentur cantando in bran-chis

chis & in ramis arborum; ita voluisti, quòd homines lætentur cantando ante figuram Arboris sanctæ Crucis, in qua plorasti pro nobis peccatoribus.

18. *Patiens Domine*, sicut aves congregantur & accedunt citiùs ad arborem, quò pluribus foliis & floribus & ramis est referta, & eò plùs quælibet ibi movet suas alas & suos cantus; ita deberent homines plùs accedere ad sanctam Crucem, quàm ad ullam aliam arborem; & eò plùs deberent in ea plorare, quò plùs eam vident tinctam sanguine & lachrymis.

19. g. *Benedicte Rex Gloriæ*! Nobilius & melius vegetabile, quod unquam fuit creatum, fuit Arbor sanctæ Crucis, in qua fuisti martyrizatus; quia ipsa fuit in principio cooperta virore & foliis & floribus & fructibus dulcibus & sapidis; & postea in fine fuit cooperta & vestita tuâ Deitate & tuâ Humanitate, & fuit tota conspersa pretioso sanguine & lachrymis vitæ.

20. Per magnam Nobilitatem, quæ fuit in Arbore, de qua tua Crux fuit facta,
nobi-

nobilitantur, *Domine*, omnes aliæ arbores, de quibus fiunt Cruces repræsentantes figuram tuæ sanctæ pretiosæ Crucis.

21. Igitur benedictæ sint, *Domine*, omnes arbores, quæ illam arborem repræsentant nostris oculis; & benedicti sint omnes homines, qui ante Cruces orant & plorant & laudant & benedicunt Te.

22. h. *Supreme Rex Gloria!* Sicut aliqua vegetabilia indigent pluviâ plus, quàm alia, & indigent arari & fodi & coli plus, quàm alia; ita, *Domine DEVS*, tuus servus indiget tuâ Misericordiâ plus, quàm ullus alius homo, quia sua culpa & sua ingratitude fuit major in eo, quàm in alio homine.

23. Mea natura, *Domine*, est adeò parata ad peccata, quòd sit parata ad omnes modos peccatorum; &, si plura genera & species peccatorum essent, quàm sunt, adhuc caperentur in mea natura.

24. Unde, nisi, *Domine*, sæpe me visites, & me in amores de Te, scias, quòd peribo in malitia meæ naturæ omnino, sicut
navis,

navis, quæ perit in mari per vim undarum & tempestatum.

25. i. *O Liber Rex pie, qui es memor hominum in Te confidentium!* Sicut vegetabilia sunt talis naturæ, quòd non possint vivere sinè aqua, ita tuus servus est talis naturæ, quòd non poterit pervenire ad veram vitam sinè amore & recordatione sui Salvatoris.

26. Vegetabilia, *Domine*, habent talem naturam, quòd ita possint mori per nimiam abundantiam aquæ, sicut per nimium defectum; sed de hominibus & de tuo amore non est ita, quia, quò plus Te amant, eo major est sua beatitudo & sua gloria.

27. Nam, quò plus homo Te amat, *Domine*, eò plus Te orat & honorat & Tibi servit: Igitur, secundum quod suus amor est magnus in Te, est magna æterna vita hominis.

28. K. *Cælestis Rex Gloriæ!* Valde miror de me ipso, quando video aliquas arbores habentes pulchros flores & pulchra folia & pulchras

pulchras branchas & pulchros fructus; & video, quòd omnia, quæ sunt in eis, sint bona, scilicet radices & folia & flores, cortex & fructus; & in me, *Domine*, non est ulla res bona, quia omnia mea membra sunt corrupta per peccata, & omnia mea opera sunt vilia per societatem vilium hominum.

29. *Vere Domine!* Ratio, quare, quidquid est in arbore, est bonum, est, quia illam proprietatem, quam ei dedisti, quando eam creasti, illam ipsam Tibi custodivit & salvavit, & non mutavit se in aliam proprietatem; & ratio, quare ego sum factus vilis & abjectus in mea persona & in meis operibus, est, quia totaliter exivi & mutatus sum de ista proprietate & natura, in qua me creasti, & me mutavi per accidens in aliam proprietatem & naturam, per quam sum vilis in persona & in operibus.

30. Gloria & Laus & Benedictio sit Tibi, *Domine DEVS*, qui creasti vegetabilia super terram, quæ sunt ad pulchritu-

chritudinem & ornamentum terræ, sicut stellæ sunt ad ornamentum & pulchritudinem firmamenti; quoniam, sicut stellæ & sol & luna suo splendore illuminant firmamentum, ita vegetabilia foliis & floribus & fructibus pulchrificant faciem terræ, quæ pulchritudo demonstrat nobilitatem sui DEI.

CAPUT XXXVI.

QVOMODO DEVS CREAVERIT Animalia.

1. **D**EVUS *glorioso!* Laus & benedictio & honor & servitium sit Tibi, qui creasti & fecisti animalia ex quatuor elementis, & animas illorum creasti ex nihilo.

2. Unde benedictus sis, *Domine DEVS*; quia creasti corpus animalis *in esse* substantiæ corporalis, & laudatus sis, quia voluisti creare animam animalis *in esse* substantiæ spiritualis. (*)

3. *Amorose*
 (*) Videatur Glossa super præcedentes §§. 1. & 2. in Præfatione huic Tomo præfixâ.

3. *Amorose Domine!* Amata & laudata sit tua Sapiencia, quæ voluit ordinare, quòd corpus humanum naturaliter recipiat animam rationalem, & anima rationalis habeat naturam essendi in corpore humano; & benedictus sis, *Domine DEVS*, quia voluisti, quòd ex conjunctione corporis cum anima deveniat *esse* animalis.

4. b. Tu, *Domine DEVS*, invoceris & colaris & honoreris, qui voluisti, quòd anima hominis habeat suas naturales virtutes in potentia, quamdiu corpus humanum non est dispositum, ut ipsa in eo possit habere suas virtutes in actu; & benedictus sis, qui voluisti, quòd, quando corpus est dispositum & completum, anima habeat in eo suas virtutes in actu.

5. *Honorate Domine!* Benedictus sis, qui voluisti, quòd quando anima rationalis est separata à corpore, habeat omnes suas virtutes in actu, quas habebat in actu, quando erat conjuncta cum ipso.

6. *Potens Domine!* Tuæ Sapienciæ est, quòd velis animas animalium irrationa-
lium

lium perire & deleri statim, quando separantur à corporibus; quia non esset rationabile, quòd remanerent in *esse* post separationem à corpore.

7. c. *O DEVS Pater & Domine universorum, quæ sunt!* Magnitudo & Libertas & Paternitas cognoscatur Tibi, qui creasti hominem in tali dispositione, quòd quinque sensibus corporalibus certificetur de rebus sensualibus, & quinque sensibus spiritualibus certificetur de rebus intellectualibus.

8. Sanctitas, & Doctrina, & Affabilitas cognoscatur Tibi, *Domine DEVS*, quia dedisti hominibus dominium & honorificentiam super omnia alia animalia; & benedictus sis, quia dedisti industriam hominibus, ut sciant capere vitam ab animalibus & vegetabilibus.

9. Tua Sapientia, *Domine DEVS*, honoretur & laudetur & ametur; quia voluisti, quòd animalia irrationalia habeant plumas & pilos & capillos & corium, quibus vestiantur, quoniam non sciunt se vestire;

tire; & voluisti, quòd natura eis ministraret in sugendo ubera matrum suarum & in perquirendo ea, quibus indigent; & benedicta sit tua Sapientia, quæ voluit, quòd filii hominum ministrarentur ad nutrimentum capiendum à suis parentibus, quibus dedisti rationem, ut eos sciant nutrire.

10. d. *O Potens Domine!* Benedictus sis, qui creasti masculum & foeminam ferè in omnibus speciebus animalium; & fecisti differentiam animalium in formis, coloribus, conditionibus & consuetudinibus.

11. Tu, *Domine*, timearis & ameris; quia creasti aliquas species animalium, quæ non generantur ex masculino & foemina; & cuilibet speciei appropriasti ea, de quibus debeat capere vitam.

12. *Essentialis Domine!* Sanctitas & Bonitas attribuatur Tibi, qui cuilibet speciei animalium appropriasti loca; ubi habitent; nam aliqua solent esse in montibus, alia in planis, alia in locis populosis, & alia in locis desertis, & aliqua in locis calidis, alia

alia in locis frigidis, & alia in locis temperatis.

13. e. *Excellent Rex Gloriæ !* Gratia & laudes & gratiarum actiones fiant Tibi, qui creasti animal rationale in nobiliori & pulchriori dispositione, quàm ulla alia animalia; quia ordinatior & nobilior est natura hominum, quàm sit natura ullius alterius animalis.

14. Magnitudo & Justitia & Benedictio cognoscatur Tibi, *Domine DEVS*, qui appropriasti naturas animalibus irrationalibus secundum quòd sunt necessariae humano *esse*; nam bovem creasti homini ad arandum, & equum ad equitandum, & asinum ad ferendum onera, & canem & falconem ad venandum, & arietem ad vestiendum se ejus lanâ, & ad comedendum ejus carnem, & sic de omnibus aliis animalibus.

15. Benedictus sis, *Domine DEVS*, qui creasti alia animalia sylvestria, & alia domestica, & alia bona, & alia mala, & alia animalia voluisti creare magis necessaria

ria hominibus, quàm alia.

16. f. *Domine vere DEVS, qui dirigis errantes in viam Veritatis!* Benedictus sis, qui creasti aves in tam bona dispositione, quòd possint ire volando per aerem sursum & deorsum quocunque velint: unde tuus servus Te precatur, ut ei facias tantam gratiam, quòd de istis locis inferioribus possit ascendere in loca suprema, in quibus sit in præsentia tuæ benedictæ Divinitatis.

17. *O Pater cælestis!* Quamvis vultur sit major omnibus aliis avibus, tamen est vilior & fœdior & immundior; unde magnum timorem habeo, *Domine*, ne mea peccata me faciant similem vulturi; quia, quamvis homo habeat melius *esse*, quàm ullum aliud animal, tamen peccator est vilior & fœdior & immundior omni aliâ creaturâ.

18. *Pie Domine!* Cùm ita sit, quòd me creaveris in *esse* humano, & mihi feceris multas gratias, precor Te, ut Tibi placeat, quòd non fiam per mala opera vilioris conditionis, quàm ulla aliarum creaturarum.

rarum.

19. g. Tu, *Domine DEVS*, qui es per-
durabilis per omnia tempora, scis, quòd,
quando bonus artifex fecit aliquod opus
bene artificiatum & pulchrum, suum opus
det laudem de ipso; &, quò plus se de-
monstrat pulchrum & bonum opus, eò me-
liorem monstret artificem, qui illud fecit:
unde, cùm videamus tot animalia, & vi-
deamus illa tam pulchra & bona & diffe-
rentia in formis & proprietatibus, benè pos-
sumus in illis cognoscere altitudinem &
nobilitatem Domini, qui ea creavit &
fecit.

20. *Complete Domine & plene omnibus
bonis!* Sicut aquæ se præcipitant de locis
altis, & se extendunt per plana, & descen-
dunt in loca inferiora; ita videmus per om-
nia loca terrarum animalia pulchra & bona
& multa: unde ista visio repræsentat nobis,
quòd debeamus dare laudem & gloriam de
Te per omnia loca, in quibus animalia vi-
demus; &, quotiescunque illa videmus, ad-
monemur ad amandum & honorandum il-
lum,

sum, qui ea creavit & fecit.

21. *Cum Tu, Domine DEVS, debeas laudari & amari ab omnibus hominibus; & homines teneantur laudare Te in omnibus horis dierum & noctium; quomodo potest esse, quòd habeant curam de ulla alia laude, nisi de tua? & quomodo potest esse, quòd gratiæ, quas deberem facere Tibi, adeò tardent venire in meum cor & in meus os?*

22. h. *Amabilis Domine, plene dulci Misericordiâ & vero Amore! Bene scis, quòd, quando homo inamoratus videt nuncios Domini, quem multum amat, valde lætetur de visione eorum; & videtur sibi illos esse pulchriores & meliores nuncios, quam ulli alii sint.*

23. *Si, Domine, essem bene inamoratus de Te, quando video animalia, quæ mihi sunt nuncii tuæ Bonitatis, deberem lætari de visione & puchritudine & bonitate eorum.*

24. *In hoc, quòd non læter in visione creaturarum, quas creasti, cognosco, Do-*
E *mine,*

mine, me non esse benè inamoratum de Te: unde valde miror, quomodo possit esse, quòd aliquis vir sit magis inamoratus de aliqua foemina, quæ est res creata, & habet finem & principium, quàm ego sum inamoratus de Te, qui es meus Creator & meus Dominus sinè fine & sinè principio.

25. i. *O Sancta Trinitas, à qua nascitur & derivatur omnis Veritas!* Si bestia sunt bestia per hoc, quòd non habent rationem, non est mirum, quia talis est sua natura; quoniam eis non dedisti rationem; sed, quòd ego sim bestia, & devenerim ad esse bestiale, quia non volo uti ratione, quam mihi dedisti, hoc est, *Domine*, magnum mirum; quia non venit mihi à natura, cùm sim in humano esse.

26. Omne id, quod dat laudem de re finita generabili & corruptibili, & obliviscitur dare laudem de suo Creatore & de suo Domino, est, *Domine*, bestia, & minus, quàm bestia.

27. Unde, cùm, *Domine*, sim ille, qui
non

non tantum laudavit nec amavit suum Creatorem, quantum amavit & laudavit creaturas, æstimo me bestiam, & minús, quàm bestiam: unde, cùm dis-cognitio me fecerit devenire in tam vilem statum, precor Te, ut mihi des cognitionem, per quam revertar in statum gratiæ & virtutis.

28. K. *Misericors Domine, plene omni affabilitate!* Nisi esset hoc, quòd Tu ordinasti omnia, esset quasi rationabile, quòd animalia rationalia essent subjugata & subdita animalibus irrationalibus; & hoc, quia accidentaliter exeunt à sua natura, & ponunt se in natura peccati; & animalia irrationalia non exeunt à natura, in qua ea naturasti.

29. Homines, *Domine*, qui in suis operibus per peccata facti sunt peccatores, sunt viliores animalibus irrationalibus; quia, quamvis animal irrationale Te non cognoscat, tamen non Te dis-amat, nec Tibi disservit; & homo peccator non vult Te cognoscere nec amare nec Tibi servire
nec

nec obedire, sed Tibi disservit, quantum potest.

30. *O supreme Domine!* Quoniam homines sunt ita viles creaturæ per peccata, & omnia plana & montes terrarum sunt ita conspurcati & deturpati ab eis, opus est, quòd tua magna Misericordia descendat ad nos, & nos purificet & mundet à nostris culpis; & nobis det memoriam tuæ sanctæ Passionis, ut simus amatores tuæ benedictæ Essentiæ divinæ.

CAPUT XXXVII.

QUOMODO DEVS CREAVERIT *Angelos.*

1. **D**EVUS amorese, complete omnibus a. **D**viribus! Quando in principio dedisti esse creaturis, voluisti creare substantias spirituales, quas voluisti esse immortales, & non corruptibiles; & insuper voluisti, quòd homo non possit eas videre, quia non sunt substantiæ corporales.

2. Istas

2. Iſtas ſubſtantias ſpirituales intelligimus, *Domine*, eſſe Angelos, quos creasti ex nihilo in uno tempore & in uno momento ita, quòd nullus Angelus fuerit creatus antequàm alius.

3. Tu, *Domine DEVS*, adoreris & ameris & honoreris, quia Tibi placuit creare Angelos ita pulchras creaturas & ita bonas & veloces, & in tam ſubtili ſubſtantia, quòd nec occupent locum, nec res corporales poſſint eis prohibere nec impedire locum.

4. b. *Domine fortis*, *super omnes potestates potens* ! Benedictus ſis, qui creasti Angelos cum forma eſſentiali indiviſibili; quia ratione formæ, quam creasti in quolibet Angelo, eſt quilibet eorum individuum ita, quòd unus non ſit alius; ſicut ſanctus Michael, qui non eſt ſanctus Gabriel.

5. *Glorioſe Domine* ! In hoc, quòd intelligamus quemlibet Angelorum habere formam inviſibilem, intelligimus convenire formam cujuſlibet eſſe in ſubjecto inviſibili, cum nulla forma poſſit eſſe ſine ſubjecto;

subjecto; quia, si forma non esset in subjecto, non posset esse individualitas in re habente formam: unde, cum Angeli sint individua, de necessitate convenit, formam angelicam habere subjectum, in quo sit.

6. *Honorate Domine!* Quia intelligimus formam Angeli esse in subjecto, intellectualiter percipimus, quod ipsi esse angelico *tria* conveniant, unum est *forma*, aliud est *subjectum*, in quo forma est, aliud est *convenientia & conjunctio*, quæ est inter formam & suum subjectum; quæ convenientia est proprietas, quæ est inter subjectum & formam; cum forma sit in subjecto, & subjectum habeat formam.

7. c. *O Liber Rex Regum!* Laus & Gloria & Virtus cognoscatur Tibi, qui creasti Angelum in tribus rebus, & voluisti illas tres res esse unam substantiam simplicem angelicam sine ulla elementalī compositione.

8. Sanctitas & Fortitudo & Virtus cognoscatur Tibi, *Domine DEVS*, qui
habet

habes tantam Sapientiam, quòd scias & cognoscas quamlibet trium rerum, quæ sunt una substantia angelica; quia scis, quid sit res, quæ est in Angelo forma; & quid sit res, quæ est in eo subjectum; & quæ est in eo proprietas & conjunctio de ambobus procedens: unde laudetur tua Sapientia, quæ omnia scit & cognoscit, & nostra scientia parùm appretietur, cui cognitio istarum trium rerum est occulta.

9. Paternitas & virtus detur & cognoscatur Tibi, *Domine DEVS*, qui in tua Gloria revelas tuis amicis istas tres res, quæ faciunt unum *esse* Angelicum, quas occultasti hominibus in hac vita temporalis.

10. d. Tua Potestas, *Domine DEVS*, est valde magna & nobilis; quia creasti Angelos inter *duos terminos*, qui sunt terminus *gratiæ* & terminus *defectus* seu privationis *gratiæ*; & voluisti, quòd Angeli per istos duos terminos haberent liberam voluntatem, quando eos creasti; nam per terminum *gratiæ* habebant occasionem volendi

lendi bonum, quia terminus gratiæ est *esse*, quod eis dedisti, & per terminum defectus gratiæ habebant occasionem faciendi malum, quia terminus defectus gratiæ est sua natura, quæ reverteretur ad *non esse*, nisi per gratiam tuam sustineretur in *esse*.

11. Angelos, *Domine*, qui se inclinaverunt ad eundem per terminum gratiæ, voluisti beatificare tuâ Gloriâ, quia non iverunt per terminum defectus gratiæ; & confirmasti eos in tali statu, quòd semper irent per terminum gratiæ: unde, ratione hujus confirmationis sunt facti Angeli; & Angelos, qui voluerunt ire per terminum defectus gratiæ, voluisti esse diabolos, quia se inclinaverunt ad terminum, qui habet respectum ad *non esse*, & non voluerunt ire per terminum, qui habet respectum ad *esse*: unde, quia fecerunt talem viam, ceciderunt in culpam; propter quam eos confirmasti perdurabiliter in esse diabolico, quia eos confirmasti in statu, in quo infinite ibunt per terminum defectus gratiæ.

12. Tua Gratia, *Domine DEVS*,
fuit

fuit valde magna in Angelis, qui, quamprimùm eos creasti, inceperunt amare & honorare Te, & statim cognoverunt Te esse suum Dominum & suum Creatorem; & defectus gratiæ, qui fuit in dæmonibus, fuit valde magnus, quando peccaverunt; quia, quamprimùm eos creasti, statim habuerunt respectum ad amandum se ipsos plus, quàm Te; & statim voluerunt exaltare honorem & honorificentiam sui ipsorum super honorem & honorificentiam, quæ pertinet ad Te.

13. e. *Gloriose Rex Gloria!* Quando Angelos creasti, & dedisti eis libertatem Te adorandi, & amandi tanquam Dominum, confirmasti eos, qui Te amaverunt & adoraverunt in statu, quem ipsi assumpserunt; qui status est virtuosa servitus tuæ laudis, & amoris tuæ Bonitatis; & confirmasti eos tali modo & tali virtute, quòd non possint habere motum ad peccandum.

14. Angelos, qui peccaverunt, quamprimùm eos creasti, & dedisti eis libertatem faciendi bonum vel malum, confirmasti,

maſti, *Domine*, in ſtatu, quem ipſi ſibi aſſumpſerunt, qui ſtatus fuit via peccati; unde per ſuam obſtinationem abſtulisti ab eis dona gratiæ, quæ ſunt occasio bonorum operum: & iſti ſunt dæmones, qui ſunt in ſtatu faciendi malum ſinè ulla libertate faciendi bonum.

15. Quia Tu, *Domine*, confirmasti Angelos in ſtatu gratiæ, ideo ſentiunt proprietatem, quæ eſt in eis per dona gratiæ; & iſta proprietas ita fortiter ſentitur à quolibet Angelo, quòd ſit mortificata & ferè deſtructa proprietas deficiendi, quam habet ſecundùm ſuam naturam derivatam à *non eſſe*; & quia dæmones ſunt confirmati ad faciendum malum, ſentiunt in ſe ipſis ſolam proprietatem venientem accidentaliter à *non eſſe*, & ratione hujus ſenſus habent ſolum motum ad faciendum malum, quia non habent ſenſum proprietatis venientis per dona gratiæ, per quam ſentitur motus ad faciendum bonum.

16. f. O *Domine* laudate & amate & culte & benedicte! Tu es, qui confirmasti

An-

Angelos in *esse* angelico; & Tu es, qui eis dedisti paradisum, ut sit eis locus, in quo sint amatores & laudatores & servi tuæ excellentis Essentiæ.

17. *Juste Domine!* Tu es, qui reliquisti dæmones in *esse* diabolico; & ejecisti eos ex paradiso; & voluisti eos præcipitare in infernos, ut inferni sint eis loca in quibus habeant perdurabilem poenam.

18. Gloria, & virtus, & benedictio sit Tibi, *Domine DEVS*, qui promisisti hominibus catholicis loca, ex quibus præcipitasti dæmones, & promisisti eis illa loca ratione bonorum operum, quæ faciunt pro amore Tui; quia sicut dæmones perdididerunt paradisum per peccatum, ita vis, quòd homines habeant ipsum per merita bonorum operum.

19. g. *Domine magne, mirabilis, honorate!* Antequam dæmones confirmarentur in *esse* diabolico, non peccaverunt, nisi semel tantum, & propter illud *semel* fuerunt confirmati in tali *esse*. Igitur, cum toties peccaverim contra Te, bene est rationabile,

tionabile, quòd puniar gravibus pœnis: adhuc, *Domine*, dæmon non peccavit, nisi in substantia spirituali, & ego peccavi in substantia corporali & in spirituali, quia peccavi, in quantum sum corpus & anima.

20. *O Domine vere, Juste in omnibus factis!* Cùm ita sim factus peccator, unde eveniet mihi, quòd possideam locum, de quo dæmon est expulsus per peccatum? & quis exaltabit me ad sedem gratiæ, in qua sedit dæmon, antequam peccaret?

21. Certum est, *Domine*, quòd tuus servus non poterit pervenire ad gloriam, quam dæmon possidebat, antequam peccaret, usque dum se mutet de vitiis in virtutes, cum quibus amet Te, & serviat Tibi ex omnibus suis potestatibus & ex omnibus suis viribus.

22. h. Sanctitas, & Gratia, & Benignitas cognoscatur Tibi, *Domine DEVS*, qui dedisti tantam virtutem & tantam benignitatem Angelis; quoniam per gratiam & bonitatem, quam posuisti in eis, sunt nostri

nostri amici, & adjuutores in nostris necessitatibus & tribulationibus.

23. Magna fuit, *Domine*, gratia, quam nobis fecisti in hoc, quòd nobis dederis Angelos Ministros & Adjuutores; quia ipsi adjuvant nos in tentationibus, & dant nobis cognitionem de fraudibus & falsitatibus, quas diaboli nobis faciunt.

24. Tot sunt dæmones, *Domine*, & tam pleni malitiâ, & habent tantam voluntatem & astutiam faciendi malum, quòd non possemus detinere nos à malo per nos ipsos sinè tuo Adjutorio & sinè adjutorio Angelorum.

25. i. *O Domine DEVS, qui succurris afflictis, & salvas omnes, quos vis!* Perdurabilitas & virtus cognoscatur Tibi omni tempore, qui creasti me in hoc tempore, & non in illo, in quo creasti dæmones; quia, si tunc me creasses, & me creasses in *esse* Angelico, valde bene scio, quòd fuisset factus peior & vilior omnibus dæmonibus.

26. Non

26. Non enim profuit, *Domine*, adiutorium Angelorum, nec Scripturæ Prophetarum, nec admonitio Religiosorum, ut fuerim homo bonæ vitæ; imò quamvis Angeli me adjuverint, & Religiosi mihi prædicaverint, tamen fui peior homo & magis peccator totius hujus civitatis & omnium confinium ejus.

27. Unde, quia me creasti, *Domine*, in *esse* humano, & me creasti in hoc tempore, ago Tibi gratias, quia non creasti me insimul cum dæmonibus; quamvis nunc sim homo peccator & plenus vitiis, tamen adhuc tua Misericordia & tua Pietas potest me mundare, quamdiu sum in hac præfenti vita.

28. K. *Misericors Domine, gratiose, plene virtutibus!* Magnæ sunt gratiæ & gratiarum actiones, quas Tibi debemus habere; quia, si sumus tuæ creaturæ, etiam tales sunt dæmones; & si dæmones peccaverunt, etiam peccavimus nos; unde, cum volueris venire in hunc mundum ad recreandum nostram naturam, valde obligasti.

gasti nos ad amandum Te, quia nos honorasti super naturam angelicam in hoc, quòd non volueris recreare dæmones.

29. In omni, quod creasti & fecisti, *Domine*, est magna ratio; nam, quia homo est fragilis naturæ, & est faciliter deceptibilis, & pronus ad peccatum, propterea Misericordia & pietas Te fecit incarnari in nostra Domina sancta **MARIA**, ut restaurares humanam naturam, quæ per suam fragilitatem ceciderat in peccatum.

30. *O Domine DEVS Liber, plene Gratiâ!* Tuus servus Te adorat & Te invocat & Tibi agit gratias, quia dedisti ei gratiam perficiendi istam Distinctionem, & confidit in tua virtute, quòd ei det fortitudinem & potestatem, ut possit perficere alias Distinctiones ad honorem & gloriam sui Domini Dei.

DISTINC-

DISTINCTIO XI.

DE ORDINATIONE DIVINA.

CAPUT XXXVIII.

QVOMODO DEVS ORDINA-
verit hunc mundum.

1. **O** *DEVS Pater & Domine omnium*
a. *rerum!* Gloria & Laus & Virtus
cognoscatur Tibi omni tempore, qui ordi-
nasti totum mundum in generali; quo-
niam ordinasti firmamentum, ut ordinatè
se moveat, & ordinatè corpora coelestia
habeant actionem super corpora ele-
mentata.

2. Honorificentia & Nobilitas attri-
buatur Tibi, *Domine DEVS*, qui ordina-
sti quatuor elementa in sua simplicitate &
in sua compositione; quia in ordinatione,
quam posuisti in elementis, demonstratur
tua magna Sapientia, & tua magna Po-
testas.

testas.

3. Tu, *Domine*, ameris & benedicaris, qui ordinasti, quòd tempus sit in ordinatione in hoc, quòd sit divisum in quatuor tempora anni, scilicet in Ver, & Æstatem, & Autumnum, & Hyemem: & hanc divisionem fecisti per potestatem & actionem, quam dedisti elementis in uno tempore majorem, quàm in alio; nam, quia elementa sibi invicem contrariantur, fiunt calores, & pluvia, & venti, & frigora, & tonitrua, & fulgura, & fructus, & semina.

4. b. *Domine fortis, amabilis!* Divinitas & Dominium cognoscatur esse in Te, qui ordinasti, quòd super faciem terræ sint vegetabilia ordinata cum foliis & floribus & branchis & fructibus; quia ipsa sunt ornamentum terræ; & sunt cibus animalium, quæ vivunt ex ipsis, quamdiu Tibi placet.

5. Magnam Misericordiam fecisti, *Domine DEVS*, quando Tibi placuit creare metalla; quia per creationem eorum ordina-

F nasti

nasti hominem, ut possit vivere in hoc mundo; quoniam ferro scindit & dolat ligna & arat terras, & auro & argento emit & vendit, & sale condit cibos.

6. Laudetur & honoretur, *Domine DEVS*, tua Sapiencia, quæ ordinavit animalia in valde pulchra dispositione & ordinatione; quia divisisti animalia in diversas species & in diversas formas & qualitates & consuetudines; nam quædam animalia facis vivere in aquis, & alia in terra, & quædam facis vivere ex herbis, & alia ex aliis, & quædam animalia habitare facis in sylvis, & alia in montibus, & in locis planis.

7. c. *Æternitas & Sanctitas & Fortitudo & Virtus* cognoscatur Tibi, *Domine DEVS*, qui creasti omnes creaturas in tam magna ordinatione, quòd omnes sint ordinatæ ad serviendum homini, & omnes habeant suas proprietates ad servitium ipsius.

8. Valde honorasti, *Domine*, hominem in hoc, quòd ipsum ordinaveris ad
amandum

amandum & honorandum Te, & ad essendum subditum tuis mandatis; & totum hoc ordinasti, ut ipse ordinate cognoscat, & percipiat tuam magnam Bonitatem & tuam magnam Nobilitatem.

9. In hoc, quòd ordinaveris, *Domine*, omnes creaturas ad servitium hominis & ordinaveris hominem ad tuum servitium, sequitur, quòd omnia creata sint ordinate creata ad hoc, ut Tibi fiat honor & servitium ab eis.

10. d. *Adjutor Rex Gloria!* Æternitatem & Infinitatem & Libertatem & Grati-
tiam cognoscamus esse in Te, qui ordinasti homines in diversis officiis & opificiis; quoniam ordinasti, quòd sint Clerici ad conservandum fidem, & ad dandum bona exempla hominibus, & ad prædicandum ipsis, & ad sacrificandum, & ad orandum Te pro se, & pro aliis. Etiam ordinasti, *Domine*, quòd sint Reges ad tenendum Justitiam, & ad evitandum mala, & ad terrendum homines nolentes declinare à malo per amorem, ut declinent ab eo per
timorem.

timorem.

11. Etiam ordinasti, *Domine*, quòd sint equites ad adjuvandum Reges, ut possint tenere Justitiam; & ordinasti, quòd sint mercatores ad transportandum res de una terra in aliam, ut homines habeant sufficientiam omnium rerum; & ordinasti, quòd sint agricolæ, & fabri lignarii, & futores, & fabri ferrarii, & sic de aliis opificiis; ut per ista officia & opificia sit ordinata vita hominis.

12. Laus & benedictio & cultus & servitium sit Tibi, *Domine DEVS*, qui fecisti matrimonium masculi & foeminae, ut ordinate generent filios & filias, per quos conserventur & sustineantur supradicta officia & opificia in *esse*.

13. e. *Domine vere DEVS*! Fortitudo & virtus & Gloria & benedictio cognoscatur Tibi, qui ordinasti, quòd homines vivant & moriantur in hoc mundo; quoniam per vitam & per mortem ordinantur, ut in gloria fiat multitudo multorum hominum, qui sint amatores & laudatores tuæ
magnæ

magnæ Bonitatis.

14. Gloria & Laus sit Tibi, *Domine DEVS*, qui ordinasti, quòd sint homines in hoc mundo sani & infirmi, divites & pauperes, læti & tristes, ignari & sapientes.

15. *Humilis Domine!* Per omnia ista, quæ ordinasti, sunt homines ordinati ad lucrandum meritum gloriæ vel pœnæ; &, si ista supradicta non essent, non essent ordinati ad possidendum gloriam.

16. f. Tibi, *Domine DEVS*, qui es Fortitudo & Confortatio & Auxilium afflictorum, detur omnis laus & omnis honorificentia; quia ordinasti hunc mundum ad alium; quoniam, si alius mundus non esset, iste non esset ordinatus, sed esset inordinatus.

17. Quoniam, *Domine*, ordinationem, quam iste mundus habet, non habet respectu sui, ut ipse sit ordinatus, sed habet eam, ut aliud sæculum sit ordinatum; propterea voluisti, quòd homines veniant in hunc mundum, & habeant liberam voluntatem

tatem faciendi bonum, vel malum, ut habeant meritum de bono, vel de malo in alio sæculo.

18. Unde per istam talem ordinationem, quam posuisti, *Domine*, in hominibus, est ordinatum, quòd quando homo exit de hoc mundo, inveniat in alio remunerationem, secundum quod in isto operatus fuerit; & propterea ordinate venit homo in hunc mundum, & ordinate exit de eo secundum ordinationem alterius sæculi; & ordinate intrat in aliud sæculum, quando exit de isto.

19. g. Tu, *Domine DEVS*, qui es confortatio & adiutorium afflictorum, ameris, & lauderis, & honoreris; quia ordinasti homines per tuam Sapientiam & per tuam Benignitatem, & plerique se inordinarunt per suam magnam stultitiam & amentiam.

20. Nam, ubi sunt, *Domine*, Clerici, qui faciant id, ad quod ordinasti eos? & ubi sunt Reges, qui teneant Justitiam in terra? & ubi sunt Equites, qui sint adjutores

res

res veritatis? & ubi sunt mercatores, qui emant & vendant veris verbis? & ubi sunt homines, qui utantur suo opificio, sicut est ordinatum, quòd eo debeant uti?

21. Benedictus sis, *Domine DEVS*, quoniam plurimi homines sunt corrupti, & sunt extra ordinationem & Veritatem ratione inordinationis, quæ est in eis; quia habent majorem respectum ad se ipsos, quàm ad suum proximum.

22. h. *Humilis Rex Regum, & Domine Dominorum*: Sanctitas & benedictio cognoscatur tuæ ordinationi; quia ab ea derivantur & exeunt omnia bona & omnes virtutes, quæ sunt in hominibus; & inordinatio, quæ est in hominibus per accidens, nascitur & derivatur à secundo motu & ab inordinata intentione.

23. Nam, quia homines, *Domine*, vendunt per secundum motum, & habent inordinatam intentionem, propterea in quocunque officio sint, sunt inordinati; & per inordinationem, in qua sunt, sunt ad invicem deceptores & proditores & inimici.

mici.

24. Unde benedictus sis, *Domine DEVS*, quia posuisti homines in diversis opificiis & in diversis officiis, ut se adjuvent invicem; & ipsi per peccatum in quolibet officio & opificio sunt ad invicem deceptores.

25. i. *O Glorioso Domine, qui vivificas & fortificas catholicos!* Non sunt oculi, qui sufficerent ad videndum ordinationem, quam posuisti in creaturis, nec aures, quæ eam possent audire, nec ora, quæ eam possent nominare, nec est intellectus, qui eam posset intelligere, nec cor, quod eam posset perpendere.

26. Sicut homines, *Domine*, non habent potestatem comprehendendi ordinationem, quam fecisti in mundo, ita non habent potestatem videndi nec audiendi nec loquendi nec cogitandi inordinationem, quæ est in se ipsis; quoniam aliqui Clerici pro una parva delectatione exeunt de sua Regula, & aliqui Regum pro aliqua pauca pecunia corrumpuntur in sua sententia,

tentia, & idipsum faciunt homines in omnibus aliis opificiis & officiis, quia valde parva occasio abducit eos à regula & ponit eos in inordinatione.

27. Omnis Gloria & omnis Bonitas & omnis Virtus detur & cognoscatur Tibi, *Domine DEVS*, qui ordinasti omnia, quæcunque sunt in *esse*, & omnis fragilitas & miseria detur & cognoscatur hominibus; quia omnibus, quæ creata & facta sunt, inordinate utuntur.

28. K. *O Domine mirabilis, honorate!* Quamvis homines sint inordinati in suis operibus; quis est, qui posset inordinare ullum tuorum operum? & quis posset inordinare id, quod Tu ordinasti?

29. *Amorose Domine!* Ex ordinatione, quam posuisti in creaturis, & ex inordinatione, quam nos habemus in hoc, quod facimus, exit alia ordinatio, quæ est illa, quam convenit esse in alio sæculo, quæ intellectualiter intelligitur secundum respectum tuæ Sapientiæ & tuæ Misericordiæ & tuæ Justitiæ.

30. Quo-

30. Quoniam per ordinationem, quæ est in alio sæculo, *Domine*, Beati glorificantur in gloria, quia fuerunt ordinati in hoc mundo; & peccatores tormentantur in igne perdurabili, quia in hoc mundo exiverunt ab ordinatione, quæ est facta in eo per Gratiam divinam.

CAPUT XXXIX.

QVOMODO DEVS ORDINAVERIT corpus Hominis.

1. **O** *DEVS* laudate, gloriose! Amor & honor, obedientia & benedictio sint Tibi; qui composuisti corpus humanum ex quatuor elementis; & voluisti, quòd ipsum sit ordinatè creatum.

2. Nam Tu, *Domine*, creasti in humano corpore quatuor humores, scilicet *choleram & melancholiam, phlegma & sanguinem*; & eos voluisti ponere in homine, ut homo habeat appetitum comedendi & bibendi, & habeat naturam vivendi secundum

dum temperamentum eorum.

3. *Virtuose Domine, plene Gratiâ!* Tu ordinasti corpus humanum in quatuor potentiis, quæ sunt *Appetitiva, Retentiva, Digestiva & Expulsiva*, & per ipsas vivit homo; quia, nisi esset *Appetitiva*, non vellet comedere; & nisi esset *Retentiva*, non retineret cibum usque dum esset digestus; & nisi esset *Digestiva*, non extenderetur cibus per corpus; & nisi esset *Expulsiva*, non exiret à corpore grossa materia, quæ non est bona ad dandum vitam homini.

4. b. *O Domine Dominorum & Pater Patrum & Sancte Sanctorum!* Virtus & Gloria fit Tibi, qui posuisti in corpore humano *Visum* & oculos ad videndum res elementatas; nam oculis videt homo formas & diversitates rerum, & certificatur per loca & per vias, per quas habet voluntatem eundi.

5. Quia homo videt, *Domine*, habet cognitionem de animalibus & de vegetabilibus; & per visionem, quam habet de eis,

eis, eligit sibi vegetabilia & animalia, quibus indiget, & rejicit à se illa, quæ sunt sibi nociva.

6. *Amorose Domine, plene Gratiâ!* Tu dedisti mihi oculos ad videndum creaturas, ut Te laudarem & benedicerem in eis; & ego, quia privavi meam animam Veritate, excoecavi meos oculos, & extraxi eos ab ordinatione, in qua posuisti eos; nam Tu, *Domine*, dedisti mihi oculos ad respiciendum versús cœlum dando gloriam & laudem de Te, & ego inclinavi eos versús terram obliviscendo gloriæ & honoris mei Creatoris & mei DEI.

7. c. *O Domine misericors, in quo est omnis Veritas & omnis Misericordia!* Amor & servitium sit Tibi, quia dedisti homini *Auditum* & aures, ut audiat idiomata & voces, & sciat intelligere & scire differentias idiomatum & vocum: unde benedictus sis; nam, quia homines habent auditum, sciunt emere & vendere, & sciunt dare & petere & denunciare & admonere.

8. *Pie Domine!* Tu voluisti, quòd homines habeant aures, quibus audiant, ut possint audire loqui de tua magna Potestate & de tua Sapientia & de tua Justitia & de tua magna Misericordia & de omnibus aliis Virtutibus, quæ sunt in Te; quoniam per audire tuas Virtutes percipiunt homines Te esse supremam Bonitatem & supremam Perfectionem.

9. *Humilis Domine!* Si Tu dedisti tuo seruo aures, ut possit audire Nobilitates, quæ de Te debent enarrari, tuus servus convertit eas ad audiendum vanitates mundanas & vias peccatorum; & noluit audire homines, qui tuam Nobilitatem enarrant, nec homines demonstrantes viam, per quam pervenitur ad perdurabilem vitam.

10. d. *Benigne Domine, plene omni Sanctitate & omni Nobilitate!* Rogatus & invocatus & memoratus sis Tu, qui dedisti *Gustum* humano corpori, ut sentiat saporem & amaritudinem in rebus, quas manducat; quia propter istum sensum volunt
man-

manducare, & evitant manducare res amaras, & volunt manducare res dulces.

11. *Grate Rex Gloriæ!* Benedictus sis Tu, qui voluisti, quòd homines habeant ora, quibus loquantur, & quibus laudent & honorent suum Creatorem & suum Dominum DEUM, & quibus demonstrent per verba voluntatem sui cordis.

12. Paupertas valoris & scientiæ & sapientiæ cognoscatur mihi, *Domine DEVS;* quia meum os non dedit laudem nec gloriam nec honorificentiam de Te, sicut decet; sed laudavit ea, de quibus non debebat dari laudes; & non enunciavit veritates meæ mentis, imò dixit contrarium illarum rerum, quas cogitabam & volebam.

13. e. *O Domine sancte, virtuose, qui es salus & salvatio hominum!* Omnes amemus & laudemus Te, qui ordinasti, quòd corpus humanum per *Tactum* sit sensibile caloris & frigoris & famis & sitis & sanitatis & infirmitatis & laboris & quietis.

14. Quoniam ratione istius sensibilitatis,

tis,

tis, *Domine*, quam posuisti in hominibus, sunt masculi accedentes ad foeminas; & ratione sensibilitatis frigoris volunt vestiri; & ratione sensibilitatis volunt vigilare & dormire, & volunt molles pannos, & volunt evitare vulnera & verbera.

15. *Pie Domine!* Tu posuisti rationem in me, ut per illam teneam meum corpus ordinatum; & ego inordinavi me totum, quia omnes meos dies expendi delectando meos sensus in rebus vanis & immundis & plenis peccatis.

16. f. *O Domine DEVS, qui scis omnia!* Tuus servus Te invocat & Te laudat & benedicit; quia dedisti homini *Odo-ratum*, per quem habet instrumentum ordinatum ad sentiendum odores florum & fructuum, qui generantur in vegetabilibus.

17. Nam per dulces odores, *Domine*, quos homines sentiunt & odorantur, vivificat anima humanum corpus; & per odores, quos homines sentiunt & odorantur, laetantur & recreantur in tempore veris,

veris, quando arbores producunt folia
& flores & fructus & pulchros odo-
res.

18. Si Tu, *Domine DEVS*, ordinasti
odoratum hominis, ut odoretur bonos
odores, tuus servus est ille, qui non vo-
luit odorari nisi foeditates & spurcitas,
quæ sunt in peccato; quoniam meæ nares
fuerunt adeò plenæ spurcitiis, quòd, sicut
porcus, qui non sentit foetorem stercoreum,
in quibus tenet suum rostrum, ita non
sensi foetorem peccati ratione magnæ
perseverantiæ, quam habui in discognitio-
ne mei DEI.

19. g. *Virtuose Domine, Creator & Cog-
nitor & Gubernator omnium creaturarum!*
Gratiæ & gratiarum actiones sint Tibi,
qui dedisti homini manus, per quas possit
operari opera necessaria suæ vitæ; & be-
nedictus sis, *Domine DEVS*, qui dedisti
hominibus manus, ut eas elevent versús
coelum, petentes à Te remissiones & dona
gratiæ & misericordiæ.

20. Quia Tu, *Domine*, homini dedif-
ti ma-

ti manus, potest arare & fodere & dolare & ædificare domos & comedere & bibere & se vestire & exuere & dare eleemosynas, & facere omne id, quod ei est necessarium.

21. Tibi, *Domine DEVS*, detur honor & gloria & honorificentia; quia de *non esse* deduxisti res in *esse*, per quas Tibi fiat amor & servitium; & tuus servus ignominietur & vilipendatur & reprehendatur, quia meæ manus non unxerunt nec sanaverunt vulnera pauperum, qui pro amore Tui petunt; nec exuerunt meum corpus vestibus, ut eas darem pauperibus, nec abstulerunt cibos à meo ore, ut eis saturarem pauperes.

22. h. *Sancta Trinitas in Vnitate & una Vnitas in Trinitate!* Omnis Fortitudo & omnis Potestas cognoscatur Tibi, *Domine DEVS*, qui dedisti homini cor ad amandum & honorandum Te, & ut illud sit locus, in quo Tu cogiteris & ameris & desidereris, & ut in eo Tibi obediat in omnibus, quæ vis & mandas.

G

23. Glo-

23. Gloria & Misericordia & Benedictio cognoscantur Tibi, *Domine DEVS*; nam, quia dedisti cor ad amandum, facti sunt homines justi & beati in hoc, quòd in suo corde Te ament & Te adorent & Tibi gratias agant & non sinant habitare in eo aliud, nisi Te.

24. Cùm Tu, *Domine DEVS*, dede- ris homini cor ad amandum Te, & ut sit domus, in qua habites; & ego in meo corde receperim tuos inimicos, & Te multo- ties ejecerim ex eo; quid erit de me? qua- le consilium capiam, ne puniar gravibus doloribus, secundùm quòd mea delicta sunt magna & gravia?

25. i. *Patiens Domine DEVS, simplex & suavis!* Tu ameris & lauderis & colaris & benedicaris, qui dedisti hominibus pedes, quibus eant per vias veritatis, & per vias, in quibus dent laudem & honorificentiam de tua benedicta Essentia.

26. Quia per pedes, quos dedisti, *Do- mine*, hominibus, possunt homines ire ad sanctam Ecclesiam ad orandum & rogan- dum

dum Te, & pedibus eunt ad suos manuales labores & ad suas negotiationes, & pedibus eunt divites ad visitandum pauperes pro amore Tui petentes.

27. *Gratiosè Domine!* Mei pedes non assueverunt ire per tales vias, quia non iverunt per loca, in quibus Tu sis recolitus & predicatus; nec iverunt ad loca, in quibus tui pauperes habent penuriam bonorum temporalium & spiritualium.

28. K. *O Domine DEVS gloriosè, excellens super omnes altitudines!* Benedictus sis Tu, qui tam bene ordinasti corpus hominis, quia ornasti & ordinasti illud capillis & superciliis & dentibus & unguibus & ossibus & venis & nervis & cerebro & jecore & pulmone & omnibus aliis rebus ei necessariis.

29. Omnia ista, *Domine*, erant necessaria humano corpori, & sinè aliquorum non foret ordinatum: unde tuus servus Te laudat & benedicit in præsentia tui gloriosi Altaris, & confitetur se in omnibus, per quæ humanum corpus est ordina-

tè

tè creatum, suum corpus inordinasse, quia cum omnibus peccavit.

30. *O JESU Christe Domine!* Cùm Tu ordinaveris meum corpus per creationem, & ego ipsum inordinaverim accidentaliter per peccata, precor Te, ut ipsum ordines taliter, quòd cum ipso non amem nec laudem aliam rem, nisi tuam Deitatem & Humanitatem, quæ fuerunt unitæ in Utero Dominæ nostræ sanctæ *MARIÆ*, quæ Te portavit tanquam Filium suum, qui es suus Creator & suus *DEUS*.

CAPUT. XL.

*QVOMODO DEVS ORDINA-
verit in homine Potentiam vegetativam.*

1. **D***EV*S fortis super omnes fortitudines!
a. **D** Laudes & reverentiæ & honores & gratiæ fiant Tibi, qui ordinasti animam hominis cum *quinque* Potentiis, quas creasti in ea, quarum *prima* est *Potentia vegetativa*, *secunda* *Sensitiva*, *tertia* *Imaginativa*,

tiva, quarta Rationativa, & quinta est Motiva.

2. *Prima Potentia, quam ordinasti, Domine, in homine, est Vegetativa, quam conjunxisti in corpore ipsius, & posuisti quatuor potentias sub ea, quarum prima est Appetitiva, secunda Retentiva, tertia Digestiva, & quarta Expulsiva.*

3. *Liber Domine, plene Gratiâ! Benedictus sis Tu, qui istam potentiam vegetativam posuisti in vegetabilibus & in animalibus; nam quia eam posuisti in vegetabilibus, possunt animalia vivere de ipsis; & quia eam posuisti in animalibus, possunt quædam animalia sumere vitam de aliis.*

4. b. *Amorose Domine, plene Virtute! Tibi sit amor & timor & honor & servitium, qui ordinasti, quòd potentia vegetativa sit causa, per quam corpus humanum crescat & generet; nam in hoc, quòd potentia vegetativa sumat partem de cibus, quos homo comedit, vivit corpus hominis de illa parte, quam vegetativa sumit de cibus; & si hoc*

si hoc, quod de eis sumit, est plus, quàm hoc, quod expellit, tunc corpus est in incremento & ingrossatione.

5. Et, si contingat, *Domine*, quòd vegetativa non retineat in corpore hominis majorem partem, nec tantam de cibis, quantam consumit, venit corpus hominis in declinationem & consumptionem usque ad mortem.

6. Unde benedictus sit talis Dominus & talis Ordinator, qualis es Tu, *Domine DEVS*; nam ista est valde pulchra ordinatio, quam potentia vegetativa facit in corpore humano; quia, quando corpus habet necessitatem crescendi, retinet plus in eo de cibo, quàm expellat; & quando corpus debet necessariò minui, & mori secundùm ordinationem, quam convenit sequi, tunc potentia vegetativa aufert plus à corpore, quàm ei det.

7. c. *Misericors Rex gloriae, plene Pietate!* Obediatur, *Domine*, omnibus tuis mandatis, quia tua Sapientia ordinavit, quòd, sicut Nauclerus ordinat navem, & dat cui-
libet

libet loco navis ea, quibus indiget; ita tua Sapiencia ordinavit, quòd potentia vegetativa teneat ordinatum totum corpus hominis.

8. Nam, sicut Nauclerus dat aliquibus locis navis funes, & aliquibus clavos, & aliis picem, & in aliis facit stare homines, ita, *Domine*, potentia vegetativa dat quibusdam partibus corporis humani caliditatem, & aliis frigiditatem, & aliis humiditatem, & aliis siccitatem.

9. Virtus & Gloria sint Tibi, *Domine DEVS*, qui ordinasti, quòd potentia vegetativa faciat corpus hominis magnum vel parvum, & ipsum faciat macrum vel pingue, secundum quòd invenit materiam dispositam ciborum, quos homo recipit.

10. d. *O Excellens Rex Glorioso!* Magnitudo & Virtus & Fortitudo cognoscantur Tibi, qui ordinasti, quòd potentia vegetativa det corpori humano vitam de cibis, quos recipit, postquam sunt transmutati de suis figuris & de suis statibus.

11. Sicut

11. Sicut convenit, quòd cibi, quos homines sumunt, *Domine*, de vegetabilibus & animalibus, sint dissoluti, ita convenit quòd femina & fructus & carnes animalium mortificentur; quoniam potentia vegetativa non posset cibos dividere, nec distribuere per membra corporis, nisi essent mortificati & transmutati de sua forma.

12. Unde ratione istius talis ordinationis convenit, *Domine*, quòd quidam cibi mastificentur, & alii bibantur, & quidam comedantur crudi & alii cocti, ut potentia vegetativa faciat illos devenire in sanguinem, & sanguinem in carnem & ossa & nervos, & in alias res secundum quòd voluisti ordinare.

13. e. *Domine alte super omnes Altitudines, Ordinator omnium creaturarum!* Sicut convenit, quòd omnia femina, & omnia animalia, de quibus homo capit vitam, prius sint in mortificatione, quàm vegetativa de illis possit dare vitam corpori humano; ita convenit, quòd quilibet homo
mor-

mortificet in se ipso suam *potentiam sensitivam*, ut possit amare Te plus, quàm se, & suum proximum tantum, quantum se ipsum.

14. Quoniam, quousque homo, *Domine*, mortificaverit *potentiam sensitivam*, non poterit amare Te plus, quàm se, nec poterit tantum amare suum proximum, quantum se ipsum; quia per *potentiam sensitivam* fit homo *præsumptuosus*, & *cupidus*, & *iracundus*, & *injuriosus*, & *plenus omnibus vitiis*.

15. Nam, sicut *potentia vegetativa*, *Domine*, non habet de sua natura operari in cibis, quos homo sumit, donec sint *mortificati*, ita *potentia sensitiva* habet de sua natura facere hominem amare se plus, quàm Te & suum proximum, nisi sit *mortificata*.

16. f. *Perdurabilis Domine sine principio & fine*! Libertas & Humilitas cognoscantur Tibi, qui *virtuificasti* & *naturaisti* *potentiam vegetativam* in homine in tali *virtute* & in tali *natura*, quòd teneat ipsum
in

in vita usque ad diem, quâ vis, ut transeat ex hac vita in aliam.

17. *Vere Domine!* Homines sunt adeo fragiles & miseri in sapientia & abstinentia, quod potentia vegetativa habeat minus virtutis & potestatis, quàm haberet in eis per defectum ipsorum; nam, quia multum comedunt & bibunt ratione gulæ, potentia vegetativa non potest tam bene operari in eis, sicut operaretur, si essent temperati.

18. Unde benedicta sit, *Domine*, ordinatio, in qua posuisti potentiam vegetativam, & nostrum comedere & bibere contemnatur & vilipendatur; quia comedimus & bibimus inordinatè.

19. g. *O Domine large, virtuose super omnes virtutes!* Cùm ordinaveris in me potentiam vegetativam valde sapienter, & ego eam inordinaverim per continuatam nimietatem comedendi & bibendi; opus est mihi, quod habeas pietatem & misericordiam de me.

20. Nam, quando, *Domine*, volo satisfacere

facere pro meis peccatis, & volo jejunare & orare & vigilare in Te amando & honorando & benedicendo & in serviendo Tibi, meum corpus statim deficit, quia potentia vegetativa est fatigata per inordinationem, quam posui in meo corpore per nimium comedere & bibere & luxuriari.

21. Cúm tuus servus, *Domine*, inordinaverit in se ipso id, quod in eo ordinasti, in valde magno periculo & in magno discrimine est suus status, quia ratione meorum vitiorum me disposui ad recipiendum sententiam perdurabilium poenarum; unde ego peto gratiam à Te, ut, quoniam me disposui ad perdurabilem poenam, tua magna Misericordia me disponat & dirigat ad perdurabilem Gloriam.

22. h. Virtuosè & sapienter ordinasti, *Domine DEVS*, hominem, quia quando das ei *esse*, ponis in eo potentiam vegetativam priús, quàm alias potentias; & hoc facis, quia necesse est, quòd in *esse* humano generatio sit priús, quàm ulla aliarum operatio-

rationum, quæ proveniunt ab aliis potentiis.

23. Piè & timorosè Te precor, *Domine DEVS*, ut sicut posuisti in me potentiam vegetativam, ut sit occasio & ordinatio vitæ corporalis, sic velis, quòd potentia rationalis mihi sit occasio & ordinatio vitæ spiritualis.

24. Nam, sicut Tu, *Domine*, voluisti, quòd homo per potentiam vegetativam vivat in hoc mundo, sic Tibi placuit, quòd vivat in alio sæculo in Gloria per meritum potentia rationalis.

25. i. *O JESV Christe Domine, qui es verus DEVS, & verus Homo!* Laudatus, amatus, cultus & benedictus sis Tu; quia, sicut ordinasti, quòd homines vivant in hoc mundo per cibos, quos vegetativa recipit in corpore, & per eos, quos expellit ex ipso, ita justii vivent in Gloria per veram fidem, quam habent de ingressu, quem fecisti in hunc mundum, quando in eo natus es; & de exitu, quem fecisti de hoc mundo, quando in eo mortuus es.

26. Sicut

26. Sicut, *Domine DEVS*, corpus humanum destruitur & corrumpitur ratione nimis multæ receptionis ciborum, ita homines perdunt æternam vitam ratione multitudinis vitiorum, quam recipiunt in hoc mundo; quia, sicut potentia vegetativa inordinatur per nimis magnam vel per nimis parvam quantitatem ciborum, ita inordinatur vita gloriæ per multitudinem vitiorum, & per paucitatem virtutum.

27. Lætè & amorosè à Te peto gratiam, *Domine DEVS*, & precor Te, ut mihi facias tantam gratiam, quòd claudas omnia loca & omnia foramina, per quæ solet in me intrare multitudo ciborum & multitudo vitiorum, & aperias me totum ad habendum temperantiam ciborum, & ad recipiendum perfectionem virtutum.

28. K. *O Domine Dominorum, qui honoras tuos veros amicos!* Minue quæso placitum & bonum saporem sensibilitatis, quam habemus in comedendo & bibendo; quia tam
mag-

magnum saporem habemus in hoc, quod comedimus & bibimus, quòd inde potentiam vegetativam faciamus devenire in disordinationem ratione multitudinis cibi & potus.

29. Adeò magni sunt, *Domine DEVS*, sapores & dulcedines, quos invenio in comedendo & bibendo, quòd sim factus captivus & subditus cibi & potus; & quando volo abstinere à nimio comedere & bibere, invenio me totum fessum & debilem ad resistendum malæ consuetudini, in qua longo tempore fui.

30. Cúm Tu, *Domine DEVS*, sis Pater & Dominus super omnia, placeat Tibi, quòd sim servus & subditus tuæ Nobilitatis & tuæ Bonitatis, & non permittas, quòd sim servus mei ventris, quoniam es meus Dominus per Creationem & per Potestatem divinam.

CAPUT

QVOMODO DEVS ORDINA-
verit in homine Potentiam sensitivam.

1. **O** *DEVS* gloriose, magne super
a. **O** *omnes magnitudines, & mirabilis*
super omnia mirabilia! Benedicta sit, *Do-*
mine, tua virtus & tua Ordinatio, quæ
ordinavit in homine potentiam sensitivam,
per quam habet homo *quinque sensus sen-*
suales, hoc est, *auditum, visum, gustum,*
odoratum, & tactum; nam per *auditum* au-
dit loquelas & voces, & per *auditum* ha-
bet cognitionem de differentia idiomatum
& vocum; & per *visum* habet cognitionem
de diversitatibus formarum & colorum; &
per *gustum* habet cognitionem de rebus dul-
cibus & amaris; & per *odoratum* habet
cognitionem de odoribus; & per *tactum*
habet cognitionem de rebus tangibilibus, &
de sanitate & infirmitate, & de rebus du-
ris & mollibus.

2. Per istas quinque sensualitates, quæ
sunt

sunt ordinatæ, *Domine*, in corpore humano, est homo amator cibi & potus, & se movet de uno loco in alium; & per ipsas volunt viri accedere ad fœminas; & per ipsas certificantur homines de rebus, quænam sint convenientes corpori humano, ut ex eis capiant vitam.

3. Per istam potentiam sensitivam, quam posuisti, *Domine*, in corpore humano, habent homines diligentiam & industriam arandi terras, & colligendi fructus, & per ipsam volunt se vestire, & volunt quiescere à suis laboribus, & se custodire ab infirmitatibus & à morte.

4. b. *O Domine benigne, suavis, plene dulcedine!* Gloria & benedictio cognoscantur Tibi, qui ordinasti, quòd potentia sensitiva sit subjecta potentiaæ imaginativæ; & istam talem ordinationem voluisti ordinare, ut potentia sensitiva sit subdita ad serviendum potentiaæ imaginativæ.

5. Unde per istud dominium, quod dedisti, *Domine*, potentiaæ imaginativæ super

per sensitivam, fit potentia sensitiva instrumentum & subjectum, in quo imaginetur imaginativa illas res, quæ sentiuntur à sensitiva, & quæ prius sentiuntur, quàm imaginentur; nam homo prius audit & videt & gustat & odorat & sentit, quàm imaginetur.

6. Et postquam homo, *Domine*, sensit per potentiam sensitivam, imaginatur & figurat vigilando vel dormiendo illas res, quas ipsi obtulit potentia sensitiva.

7. c. *Honorate Rex Gloria!* Tibi sit laus & amor & cultus & obedientia, qui ordinasti in homine, quòd ratione potentiæ sensitivæ perveniat ad cognitionem rerum intellectualium; nam, quia homines habent cognitionem de rebus sensualibus, ideo percipiunt veritatem rerum invisibilium; & hoc fit, *Domine*, ut, quamvis sis hominibus in hoc mundo invisibilis, tamen habeant cognitionem de Te, quam cognitionem habent cognoscendo Te esse omnipotentem & misericordem & justum & virtuosum & bonum & perfectum.

H

8. Valde

8. Valde magna sunt bona & ordinationes, quæ sunt, *Domine*, in homine ratione potentiæ sensitivæ; quia tam ordinatè est posita in corpore humano, quòd per eam homo mutetur ad cogitandum & cognoscendum res intellectuales, quæ sunt animæ rationalis, quam homo cognoscit & scit esse in corpore humano; ad quam cognitionem pervenit ratione rerum sensibilium, quas non posset sentire, si potentia sensitiva non esset in ipso.

9. Gratiarum actiones & benedictiones fiant Tibi, *Domine DEVS*, qui virtuificasti & honorasti homines super omnia alia animalia in hoc, quòd soli ipsi per res sensuales veniant ad cognitionem intellectualium; & ratione istius cognitionis, quam habent de intellectualibus, sunt homines, & sunt magis læti & jucundi, quàm ulla alia animalia, quæ non habent aliam satisfactionem, nisi de rebus sensualibus.

10. d. Non est, qui posset narrare nec æstimare ordinationem & benedictionem, quam posuisti, *Domine DEVS*, in homine;

ne; quia ordinasti in eo, quòd potentia vegetativa sit prius, quàm aliæ potentia, ut corpus ipsius generet & corrumpat, & ut in corpore humano sint res prius sentitæ, quàm imaginatæ; & quòd potentia rationalis operetur in homine post imaginativam, ut possit judicare res imaginatas; & quòd potentia motiva operetur post rationalem, ut se moveat ad complendum id, quod potentia rationalis ei mandat.

11. *Gloriose Domine!* Benedictus sis Tu, qui voluisti, quòd anima rationalis sit essentialiter una substantia; sed, quantum ad actionem in corpore humano, voluisti, quòd quædam potentia sint priores aliis; & benedictus sis, *Domine DEVS*, qui virtuificasti homines justos super peccatores in utendo ordinatè potentiis animæ.

12. Nam, antequam justii homines, *Domine*, utantur potentiâ motivâ in suis factis & in suis operibus, volunt uti potentiâ sensitivâ, & postea utuntur imaginativâ, & postea rationali, & tandem motivâ; & propter hoc non errant in ulla re, quam faciunt,

faciunt, ratione ordinationis, quâ utuntur in potentiis animæ; sed homines peccatores non ita operantur, quia, antequam perveniant ad rationativam, utuntur sensitivâ & motivâ, vel imaginativâ & motivâ; & per hanc inordinationem, in qua operantur, fiunt inordinati in omni, quod faciunt & dicunt.

13. e. *O misericors Domine, amorose, plene omni Virtute!* Benedictus sis Tu, qui ordinasti, quòd homo sit magis sensibilis in amando suummet esse, quàm in amando ullum aliud esse.

14. Quia quilibet homo, *Domine*, naturaliter magis amat se ipsum, quàm aliud ratione potentia sensitivæ, quæ ei dat majorem sensibilitatem in amando se ipsum, quàm in amando aliud; propterea contingit, quòd homines fatagant in hoc mundo, quomodo possint vivere & habere divitias, cum quibus se sustentent; & propterea quilibet accipit de divitiis mundanis ad suum usum quantumcunque potest.

15. Etiam contingit, *Domine*, quòd ratione

tionem potentia sensitivæ quilibet homo magis amet suos filios & suos cognatos & suos amicos, quàm ullos alios, qui ei non sunt propinqui, & qui eum non amant; & iste talis amor contingit naturaliter, quia potentia sensitiva inducit hominem ad amandum eò plus res, quò propinquiores ei sunt in parentela vel amore.

16. f. Excellentia, & Virtus, & Gloria sint Tibi, *Domine DEVS*, qui tam bene ordinasti in homine potentiam sensitivam; quia, si homo non magis amaret per eam se ipsum & suos cognatos & amicos, quàm ullos aliorum hominum, non foret tam bene ordinatus ad lucrandum meritum gloriæ, vel pœnæ, sicut nunc est.

17. Nam quia homo justus, *Domine*, mortificat suam potentiam sensitivam in hoc, quòd plus amet Te, quàm se ipsum & suos cognatos, ideo habet meritum gloriæ mortificando se ipsum in illis rebus, quæ conveniunt fieri pro amore Tui; & quia homo peccator sequitur amorem, qui venit ei per potentiam sensitivam amando se

se ipsum, vel suos propinquos plús, quàm Te, est dignus puniri perdurabili poenâ, quia, quod minús valet, amat super id, quod plús valet.

18. Tuæ honoratæ Sapientiæ, *Domine*, detur gloria & laus, quia ordinavit in homine modum & occasionem, per quam sit liber ad volendum amare Te, qui es dignus amari super omnia creata; quæ libertas venit ei intra duos terminos, quorum primus est tua Bonitas, & vilitas sui ipsius & suorum propinquorum; & alius est proprietas, quam habet amandi se ipsum plús, quàm aliud ratione potentiæ sensitivæ.

19. g. *Domine DEVS!* Amor & honor & cultus & servitium sint Tibi, qui voluisti, quòd potentia sensitiva sit posita in homine ordinatè & temperatè.

20. Nam, quando homo, *Domine*, contemplatur in tua magna Bonitate & in tua excellenti Nobilitate, si contingat, quòd potentia sensitiva velit eum movere ad peccatum, & ad amandum aliquam rem plús,

plús, quàm Te, & ipse imaginetur tuam Virtutem & Nobilitatem, & suam vilitatem & fragilitatem & miseriam operum peccati, quàm primùm habeat talem imaginationem, vincit & mortificat se ipsum, & laudat & amat & honorat Te super omnia.

21. Unde per istam talem ordinationem, *Domine*, quæ derivatur & exit à tua Bonitate & à proprietate, quam homo habet in peccando ratione potentiæ sensitivæ, est homo dispositus ad faciendum bonum, vel malum; & si faciat bonum, faciet illud, quia magis amabit Te, quàm se ipsum; & si faciat malum, faciet illud, quia non volet cum tua Bonitate mortificare amorem, qui ei venit à potentia sensitiva.

22. h. *Essentialis Domine, perfecte in omnibus!* Benedictus sis Tu & omne, quod tuum est; quia es tam nobilis & sapiens in ordinando omnia, quòd totum hominem ordinaveris & direxeris ad faciendum bonum, & ad evitandum malum; quoniam,
ut

ut homo haberet occasionem mortificandi potentiam sensitivam, voluisti sumere carnem in Utero nostræ Dominæ sanctæ *MARIÆ*, & voluisti esse pauper, & vendi, & pati ignominias, & tormentari, & mori pro amore nostri; & omne hoc est occasio homini mortificandi se ipsum in amando Te plus, quàm se ipsum & omnia alia.

23. Ratione hujus magnæ occasionis, quam dedisti, *Domine DEVS*, hominibus Te amandi, facti sunt valde multi homines religiosi, qui memorando tuam Deitatem & tuam Incarnationem & tuam Passionem renuntiant gloriæ mundanæ & delectationibus temporalibus, & mortificant suam carnem jejuniis & vigiliis & elemosynis & orationibus.

24. Nam tam magna res est, *Domine*, cogitare & contemplari in tua Deitate & in tua Incarnatione, quòd, quamvis potentia sensitiva habeat magnam vim & potestatem in homine, tamen ipse memorando tuam Bonitatem & tuam Incarnationem
vincit

vincit malitiam & iniquitatem, quæ est in se per potentiam sensitivam.

25. i. *Humilis Domine, plene Gratiâ!*
Homines nescii peccatores, qui non contemplantur nec memorant tuam Deitatem nec tuam Incarnationem & Passionem, imò habent totum suum cor & totam suam voluntatem in rebus mundanis, non mortificant suam potentiam sensitivam cum tua Nobilitate, nec cum vilitate sui ipsorum & rerum mundanarum.

26. Sed decurrunt, *Domine*, per viam peccati, sicut aqua decurrit deorsum ratione gravitatis, quam habet in se ipsa; quia potentia sensitiva est eis natura peccandi, cum non sit, qui eam mortificet cum tua Bonitate & cum tua Passione & cum vilitate possessionis hujus gloriæ mundanæ.

27. *Pie Domine!* Sicut tua Deitas & Humanitas, quam assumpsisti, & Passio, quam sustinuisti, sunt causa, à qua derivatur omnis beatitudo & omnis felicitas & omne bonum, ita radix, à qua deriva-

tur

tur omne malum in homine, est potentia sensitiva, quando non est mortificata; quia ipsa est porta, per quam intravit in hominem primum peccatum accidentaliter.

28. K. Notum sit, *Domine DEVS*, omnibus hominibus, quòd tuus servus culpabilis fuerit de illis peccatoribus, qui sequuntur potentiam sensitivam, quin eam refrænent & mortificent cum memoria tuæ sanctæ Passionis; quia ego, *Domine*, confiteor, quòd multum tempus expenderim in amando me ipsum plús, quàm in amando Te.

29. Cúm ego, *Domine*, sim Tibi tam reus & tam culpabilis, necessarium est mihi, quòd Te orem, & ad Te clamem, & Te precer, & à Te petam veniam plorando anxie, donec respiciar ab oculis tuæ Misericordiæ.

30. Amorosè & gratanter à Te peto, *Domine*, donum gratiæ, per quod confidam in tua Misericordia, ut me adjuvet ad mortificandum potentiam sensitivam
cum

cum memoria tuarum Virtutum & Nobilitatum & tuæ Incarnationis & tuæ Passionis, & cum memoria meæ vilitatis & vanitatum mundanarum; quia talibus recordationibus vincit homo & mortificat & constringit malitiam potentiae sensitivæ, & reducit eam ad essendum subditam & servam sui Domini DEI.

CAPUT XLII.

QVOMODO DEVS ORDINAVERIT in homine Potentiam imaginativam.

1. **O** *DEVS* Ordinator & Formator
a. & Factor omnium rerum! Fortitudo & Virtus & Potestas detur & cognoscatur in Te, *Domine*, qui dedisti homini potentiam imaginativam, ut sumat res sentitas à potentia sensitiva, & cum ipsa imaginetur formas & colores, quantitates & qualitates rerum sensualium.

2. *Verax Domine!* Benedictus sis Tu, qui ordinasti hominem in tali statu, quòd,
quidquid

quidquid potentia imaginativa sumit à sensitiva, det & repræsentet potentiæ rationali, ut potentia rationalis ordinet & distinguat omne id, quod est ei datum & repræsentatum.

3. *Domine D E V S*, per magnam ordinationem, quam posuisti in potentiis animæ, se mutant homines à rebus sensuibus ad intelligendum res intellectuales; quia ratione imaginationis, quam homo habet in creaturis, potentia rationalis intelligit & percipit veritatem creaturarum, & affirmat, quænam sint & quænam non, & scit quid sint, & quare sint ea, quæ sunt.

4. b. *Gloriose Domine*, plene omni doctrinâ! Virtus & honorificentia & perseverantia sit Tibi & omni, quod tuum est; quia per tuam Benignitatem & per tuam magnam Sapientiam ordinasti, quòd potentia imaginativa sit media inter potentiam sensitivam & rationalem, ut ipsa recipiat à potentia sensitiva, & det potentiæ rationali: unde secundum istam ordinationem

tionem fit potentia imaginativa quasi sub-
jecta potentiae rationali.

5. Nam, quia sensus communis, *Do-
mine*, qui descendit à quinque sensibus
corporalibus, est causa imaginativæ, quòd
det potentiae rationali; propterea evenit,
quòd imaginativa sit media inter poten-
tiam rationalem & sensitivam, & sit sub-
jecta potentiae rationali.

6. Unde benedicaris & lauderis, *Do-
mine DEVS*, qui ordinasti, quòd in ho-
mine fit potentia imaginativa; nam, quia
homo vivit brevi tempore, & est mobilis
de uno loco in alium, propterea fuit ne-
cessarium, quòd potentia imaginativa ef-
set in eo; quoniam, nisi esset in eo, quam-
primùm est mortuus, vel ei sunt res absen-
tes, statim ignoraret & oblivisceretur
earum.

7. c. *O Domine DEVS, Benefactor nos-
ter!* Justitia & Libertas & Misericordia
attribuantur & dentur Tibi omni tem-
pore; nam, quia dedisti hominibus ima-
ginativam, propterea possunt recolere
&

& cogitare res præteritas & absentes ; quoniam per imaginationem, quam habent, affirmant formas & colores & qualitates & quantitates rerum absentium, quas non possent memorare nec cogitare nec affirmare, si imaginatio non esset in eis.

8. Laudatus sis, *Domine DEVS*; quia per hoc, quod imaginativa sumit à rebus sensualibus, & dat potentiæ rationali, evenit, quòd potentia rationalis affirmet tuam Essentiam esse in *esse*, & esse totam gratiosam & omnipotentem & misericordem & justam.

9. Laudes & gratiæ fiant Tibi, *Domine DEVS*, qui adeò honorasti homines super alia animalia; nam, quia alia animalia carent potentiâ rationali, propterea non habent potestatem imaginandi tuam Bonitatem nec tuam Essentiam.

10. d. *Magnificate Domine, magne super omnes magnitudines!* Beatitudo & integritas & magnificentia dentur & cognoscantur Tibi; quia per tuam magnam Sapientiam ordinasti, quòd potentia imaginativa
non

non possit sufficere nec pertingere ad intelligendum & cognoscendum usque ad terminum, ad quem sufficit & pertingit potentia rationalis; & ratione istius virtutis, quam dedisti potentia rationali majorem, quam imaginativa, videntur imaginativa magis impossibiles res futurae & praeteritae, quae sunt contra cursum naturae, quam videantur impossibiles potentia rationali.

11. Et totum hoc evenit, *Domine*, quia imaginativa non potest sufficere ad attingendum usque ad id, ad quod sufficit potentia rationalis; quoniam rationalis intelligit ultra terminum, intra quem est terminata imaginativa, cum imaginativa non possit imaginari nisi res, quae fiunt secundum cursum naturae, & rationalis intelligat plus ultra intelligendo & percipiendo res, quae fiunt contra cursum naturae.

12. Nam, quia potentia imaginativa, *Domine*, non recipit, nisi à quinque sensibus corporalibus, ideo non potest percipere, nisi res sensuales; sed, quia rationalis
recipit

recipit à rebus sensualibus & intellectualibus, potest intelligere res, quæ fiunt contra cursum naturæ.

13. e. *Excellentissimus Domine, gloriose, Dator omnium bonorum & omnium gratiarum!* Amatus & honoratus sis Tu; quia homines non credentes, quòd Hostia sacrata & sanctificata possit converti in veram Carnem per virtutem verborum, falluntur & decipiuntur ratione potentiæ sensitivæ.

14. Nam, quia in Hostia non possunt imaginari carnem nec sanguinem secundum quinque sensus corporales, propterea, *Domine*, discredunt, quòd possit fieri; sed ab hac deceptione eriperentur, si irent per viam potentiæ rationalis, quæ affirmat, quòd Hostia sacrata per virtutem verborum possit converti in tuam Carnem & in tuum Sanguinem, quoniam Tu volueris dare verbis tam magnam virtutem.

15. Tibi sit, *Domine DEVS*, adoratio & cultus & servitium, qui dedisti gratiam hominibus Catholicis euntibus per
viam

viam veritatis, ut non decipiantur per potentiam imaginativam, sicut per eam decipiuntur hæretici & discredentes; nam Catholici affirmant & credunt tuam Potestatem posse facere, quidquid velit; quamvis quinque sensus corporales hoc non possint percipere secundum potentiam imaginativam in Hostia sacrata per virtutem verborum.

16. f. Tibi, *Domine DEVS*, sint gratiarum actiones; quia ordinasti in homine, quòd potentia imaginativa det & repræsentet res sensuales potentiæ rationali quandoque cum omnibus sensationibus quinque sensuum corporalium, & quandoque cum sensatione unius vel duorum sensuum tantum; nam, secundum quòd res sensuales sentiuntur & imaginantur, evenit, quòd imaginativa possit eas repræsentare simul vel non simul potentiæ rationali.

17. Quando contingit, *Domine*, quòd potentia imaginativa offerat & repræsentet res sentitas cum omnibus quinque sen-

I

sibus

sibus potentia rationali, hoc fit, quia homo in presenti habet visionem & auditionem & odorationem & gustationem & tactionem de re corporali, quæ non est ei absens.

18. Et quando contingit, *Domine*, quòd potentia imaginativa non possit representare res sensuales simul cum quinque sensibus potentia rationali, sed ei representet modò unam & postea aliam, hoc contingit, quia res sensuales sunt absentes homini, quæ fuerunt ei presentes: unde benedicta sit tua ordinatio, quia per ipsam evenit, quòd homo imaginetur res absentes per representationem, quam habuit de presentibus.

19. g. *Vere Domine, plene omni Sapientiâ!* Quamvis dederis magnam virtutem & vim potentia imaginativa ad imaginandum omnia, tamen non sufficit ad imaginandam totam Bonitatem & Virtutes, quæ sunt in tua benedicta Essentia.

20. Imò potentia imaginativa deficit, *Domine*, in imaginando omnia bona, quæ
sunt

sunt in Te; quia quando vult imaginari & comprehendere totam tuam Bonitatem, quæ non potest imaginari nec comprehendi intra terminos, intra quos potentia imaginativa est terminata, tunc debilitatur & minuitur, & sentit se constrictam ad manendum intra terminum, in quo est terminata.

21. Unde, quando imaginativa deficit ad imaginandum totam tuam Bonitatem, contingit, *Domine*, quòd potentia rationalis ultra progrediatur, & velit intelligere plús, quàm imaginativa ei possit offerre & præsentare; veruntamen tantum non procedit potentia rationalis, quòd possit pervenire ad intelligendum omnia bona, quæ sunt in Te; quia, si infinitè aliud non faceret, quàm multiplicare suum intelligere in tua Bonitate, adhuc non posset venire ad finem.

22. h. Inamoratio & Libertas & Humilitas cognoscantur Tibi, *Domine DEVS*; quia, sicut potentia imaginativa & potentia rationalis deficiunt ad imaginandum, &
scien-

sciendum omnia bona, quæ sunt in Te; ita deficiunt ad imaginandum & sciendum omnia vitia & mala, quæ sunt in me; quoniam tot sunt, quòd imaginatio non sufficeret ad imaginandum quot, & quàm magna sint, nec intellectus sufficeret ad hoc intelligendum.

23. *Gloriose Rex Gloria!* Non est ulla imaginatio, quæ adeò me faciat abhorre peccatum, sicut imaginatio, quam habeo de tua Bonitate & de meo defectu: unde, cum talis imaginatio citius excitet peccatorem dormientem in peccatis, quàm ulla ali; , precor Te, *Domine*, ut hanc imaginationem facias habitare in me omni tempore meæ vitæ.

24. Si Tu, *Domine*, mihi velis facere tantam gratiam, quòd mea imaginatio sit tota in istis duabus rebus scilicet in imaginando tuam Bonitatem, & meam culpam, possum esse securus, quòd divitiæ hujus mundi nec ejus vanæ vanitates jam ultra me non facient eas invidere cuiquam.

25. i. *Domine liber, gratiose, plene dulcedine!* Homines, qui non imaginantur tuam Bonitatem & suam miseriam, res viles appetiant super nobiles, & res nobiles contemnunt plús, quàm viles; & propterea fiunt viles & peccatores & bestiales omnes, qui non imaginantur tuam Bonitatem & suam miseriam.

26. Et, quando aliquando contingit, *Domine*, quòd peccator cognoscat suum peccatum & suum vitium, & velit ipsum relinquere, hoc non sciat facere, quia non vult contemplari & imaginari tuam Bonitatem & suam vilitatem, si in longo usu fuerit imaginando res peccati.

27. Et, quòd hoc sit verum, *Domine*, in me ipso multoties expertus sum; quia multoties mihi accidit, quòd, quando volo imaginari tuam Passionem & tuam Virtutem, & meam culpam & meos defectus, statim me sentio defessum ratione longæ privationis, quam habui in imaginando tuam Virtutem & meam iniquitatem.

28. K. *O Domine fortis, cogens omnes fortitudines,*

titudines, Fons & Spes Pietatis & Misericordia ! Benedictus sis Tu, qui voluisti, quòd, quoties potentia sensitiva operatur in homine, operetur etiam imaginativa; quia, quandocunque potentia sensitiva utitur suâ actione in homine, convenit de necessitate, quòd potentia imaginativa utatur suâ actione in ipso.

29. Et propterea, *Domine*, sequitur, quòd, quamdiu homo vigilat, non possit esse sinè aliqua imaginatione; &, quando leviter dormit, convenit, quòd somniet; nam, quia est in levi somno, utitur sensitiva aliquâ actione; & per usum, quem habet sensitiva, convenit, quòd imaginativa habeat aliquam actionem, per quam imaginetur.

30. Unde, quia sensitiva & imaginativa sunt ita conjunctæ, in quocunque statu homo sit, *Domine*, videtur ei aliquas res posibles esse impossibiles, & aliquas impossibiles esse posibles; & ista inordinatio provenit ex parte potentia sensitivæ, quæ aliquando ratione suæ inordinationis

non

non potest esse subjectum perfectum, in quo imaginativa possit perfectè imaginari res, quæ non sunt perfectè sentitæ, qui defectus venit à potentia sensitiva, quæ se inordinat à servitio sui Creatoris & sui DEI.

CAPUT XLIII.

QVOMODO DEVS ORDINA-
verit in homine Potentiam rationativam.

1. **O** *DEVS* magne, mirabilis, nobilis
a. **O** *super omnes nobilitates!* Laus & honor & amor & servitium sit Tibi, qui voluisti, quòd, sicut potentia sensitiva habet quinque sensus corporales, ita rationativa habeat quinque sensus spirituales.

2. Nam, sicut Tu, *Domine*, voluisti ordinare, quòd actio, quam sensitiva habet, eat per quinque sensus corporales; ita voluisti ordinare, quòd actio, quam potentia rationativa habet, eat per *quinque sensus*

sus spirituales.

3. Unde secundum istam ordinationem sequitur, *Domine*, quod in potentia rationativa sint *Cogitatio, Perceptio, Conscientia, Subtilitas & Animofitas*, quæ sunt sensus spirituales, sicut in potentia sensitiva auditus, visus, odoratus, gustus & tactus sunt sensus corporales.

4. b. *O fortis Rex super omnes fortitudines!* Gloria & nobilitas & benedictio cognoscantur esse in Te; quia nobilitasti potentiam rationativam super omnes alias potentias in hoc, quod eam facias esse dominam ipsarum, cum facias eam dominam imaginativæ, quæ est domina sensitivæ, quæ est domina vegetativæ; & etiam rationativa est domina motivæ, quia eam ducit ad faciendum id, quod vult, & quoties vult.

5. Totum istud dominium habet potentia rationativa super omnes alias potentias, *Domine*, quia ordinatè de gradu in gradum sunt aliæ subjectæ aliis, quousque rationativa sit domina potens super omnes

nes

nes ipsas.

6. Unde ratione hujus domini, quod potentia rationativa habet super alias potentias animæ, quoties ipsa figurat & distinguit & judicat in quacunque re, mandat potentiaæ motivæ, ut se moveat ad adducendum in actum rem, quæ est in potentia; & motiva ratione mandati, quod accipit à rationativa, se movet ad adducendum ad actum id, quod non erat in actu, sed solùm in potentia.

7. c. *Excellent Domine, misericors, pie erga omnes, qui in tua Misericordia confidunt!* Dominium & reverentia & honor fiant Tibi omni tempore, quia ordinasti, quòd potentia rationativa sit subjectum, in quo sit figuratio, quæ fit de re figurata, quando est in figuratione intellectuali: etiam Tibi placuit, quòd potentia rationativa sit subjectum ordinatum faciens hominem ducere in actum id, quod est tantùm in potentia.

8. Unde benedictus sis, *Domine DEVS*, qui ordinasti, quòd potentia rationativa

tionativa figuret & inquiret rem, utrum sit, vel non sit in *esse*; & si inveniatur, quod sit in *esse*, inquiret causam, quare est; & si inveniatur, quod res non sit in *esse*, inquiret causam, quare non est; & si inveniatur, quod res sit in *esse*, inquiret, quid sit & qualis sit; & postea, quando potentia rationativa determinavit omnia ista, ducit in actum illas res, quæ tantum erant in potentia.

9. *Gloriose Domine!* Ratione istius talis ordinationis, quam posuisti in potentia rationativa, evenit, quod res sint in intellectu intellectualiter, dum sunt in potentia; & quando venerunt in actum, sentiuntur per quinque sensus corporales.

10. d. *O Domine singularis, sine pari & socio!* Paternitas & Virtus & Gloria & Honor cognoscantur Tibi, quia virtuificasti & nobilitasti potentiam rationativam super alias potentias; nam in hoc, quod potentia rationativa habeat virtutem & nobilitatem in se ad plus intelligendum & sciendum & percipiendum, quam imaginativa

nativa possit ei repræsentare & offerre, evenit, quòd plús valeat, & sit nobilior, quàm aliæ potentiæ.

11. Unde gratiarum actiones fiant Tibi, *Domine DEVS*, omni tempore; quia ratione istius virtutis, quam posuisti majorem in potentia ratiònativa, quàm in aliis, sunt homines in nobiliori dispositione, quàm ulla alia animalia carentia potentiâ ratiònativâ.

12. Nam, quia homines habent ratiònem & intellectum, *Domine*, intelligunt res intellectuales, quæ sunt nobiles & altæ, & quas nullum aliud animal potest intelligere nec scire, quia caret potentiâ ratiònativâ; & propterea homo est homo, & est nobilitatus super omnes creaturas, quia intelligit & scit ea, quæ alia animalia non possunt scire nec intelligere.

13. e. *Intelligens Domine, honorate, amoroſe, plene omnibus bonis!* Tibi attribuantur omnes honores & omnes honorificentia & omnes dignitates, & mihi omnis culpa

culpa & omnis stultitia & omnis defectus, quia propter tuum magnum Valorem virtutificasti & nobilitasti in hominibus potentiam rationalem super omnes alias potentias; & ego ratione meorum magnorum defectuum eam conspurcavi & vilificavi in hoc, quòd eam subjugaverim & fecerim servam potentiarum, quæ magis amant res sensuales, quàm intellectuales.

14. Quia imaginativa me fecit magis imaginari res propinquiores potentia sensitivæ, quàm rationativæ, sicut comedere & bibere & alia similia; propterea, *Domine*, est inordinata in me ordinatio potentiarum; & per inordinationem earum est potentia rationativa coacta & constricta in honore & honorificentia, in qua eam ordinatè posuisti.

15. Quia potentia rationativa, *Domine*, nocte & die cogitat & perpendit, quomodo possit habere divitias, & delectationes, est serva potentia sensitivæ, quæ istas res mundanas amat: unde, sicut potentia rationativa deberet esse supra sensitivam

per-

perpendendo & cogitando in tuis nobilitatibus & in gloria cœlesti, ita est sub ea considerando temporales transitorias prosperitates.

16. f. *O Domine une in Essentia & trine in Personis; verus DEVS, & verus Homo!* Tu benedicaris & honoreris & ameris & Tibi serviatur, qui ordinasti, quòd, sicut fons est locus, de quo exit & promanat aqua clara & dulcis, ita potentia rationaliva sit causa hominibus, quare possideant bona cœlestia in tua præsentia in gloria.

17. *Vere Domine!* Sicut potentia rationaliva est disposita ad dandum hominibus omnem beatitudinem & omne bonum, ita potentia sensitiva est disposita ad dandum ipsis occasionem gravium culparum & gravium malorum & magnorum laborum; sicut enim rationaliva est occasio boni, ita sensitiva est occasio mali.

18. Ratio, quare potentia sensitiva, *Domine*, est occasio mali, est, quia est contraria potentia rationalivæ in natura; quoniam

niam rationativa respicit ad æqualitatem amoris & opportunitatis ejus, & sensitiva non respicit, nisi ad amandum suum *esse* plús, quàm ullum aliud *esse*.

19. g. *Domine DEVS!* Tibi, qui es Rex Regum & Dominus Dominorum, domum meum corpus & meam animam & meum spiritum; & in Te affirmo esse omnem Gloriam & omnem Honorificentiam; quia taliter ordinasti hominem cum potentia rationativa, quòd habeat intellectum & discretionem & perceptionem tuæ Virtutis & tuæ Potestatis & tuæ Bonitatis, & intelligat & percipiat res graves ad intelligendum & sciendum.

20. *Humilis Domine!* Etiam fecisti magnum amorem homini, quando ei dedisti potentiam rationativam, quia cum ea habet cognitionem de rebus, quæ sunt amandæ & honorandæ, & de rebus, quæ sunt contemnendæ & obliviscendæ; & per eam cognoscit illas res, propter quas est remunerandus, & illas, propter quas est puniendus.

21. *Suavis Domine, plene dulcedine & pietate!* Ratione magni amoris, quem habes erga omnes homines, quos beatificas cum potentia ratiōativa, quam eis das, placuit Tibi assumere humanam Naturam, ut nos redimeres à peccato originali.

22. h. *O Domine fortis, plene omnibus potestatibus & omnibus viribus!* Tu lauderis & ameris & honoreris & benedicaris; quia, sicut ordinasti, quòd firmamentum moveatur per duos polos, quorum unus est in parte Aquilonis, & alter in parte Meridiei; ita ordinasti hominem inter duas vias, quarum una est via bonorum operum, & altera malorum.

23. Unde benedictus sis, *Domine DEVS*; quia ratione istarum duarum viarum, in quibus posuisti hominem, oritur contrarietas inter potentiam ratiōativam & sensitivam.

24, Nam, quoties potentia ratiōativa, *Domine*, dat homini motum ad faciendum bonum, contrariatur ei potentia sensitiva

sitiva dando homini motum ad faciendum malum; & quoties potentia sensitiva vult inclinare hominem ad amandum aliquid intuitu sui ipsius, ei contrariatur potentia rationativa.

25. i. *Supreme Domine, liberalis, plene omnibus virtutibus!* Adoratus & invocatus sis Tu omni tempore, & ego sim illusus & vilipensus & contemptus & reprehensus; quia, sicut malus Princeps se subjicit vilibus hominibus & vilibus Consiliariis, & pervertit intentionem, propter quam est, & suam discretionem & voluntatem per doctrinam sui falsi consilii; sic est de me, qui ratione magnæ cœcitatatis, quam habui, credidi consiliis potentia sensitivæ super consilia potentia rationativæ.

26. Unde, cum Tu, *Domine DEVS*, veneris in hunc mundum ad liberandum & redimendum naturam humanam à peccato originali; precor Te, ut Tibi placeat liberare meam potentiam rationativam à captivitate, in qua longo tempore fuit sub potentia sensitiva; & placeat Tibi, ut impos-

posterum mea potentia sensitiva semper sit ferva & subdita potentiaë rationalivæ, quia ita debet esse, secundùm quod ordinasti.

27. *Gloriose DEVS!* Tu scis, quòd major labor & major mœror, quem homo potest habere in hoc mundo, sit, quando est captivus & subditus vili & crudeli & ingrato domino, qui non habet gratitudinem pro ullo placito, quod sibi fiat: unde, cùm potentia sensitiva, *Domine*, sit peior dominus, quem homo possit habere in hoc mundo, precor Te, ut me extrahas de subjugatione sui domnii, & me facias esse fervum & subditum potentiaë rationalivæ, quæ est melior dominus & dulcior & liberior, qui sit creatus.

28. *K. O supreme Rex, qui circumdas loca plana & montes & maria & omnes caelos!* Tibi attribuantur & dentur omnes honorificentiaë & omnes gloriaë & omnes perfectiones, & omnes magnitudines; & mihi attribuantur omnia vitia & omnes defectus; quia ordinasti, quòd animalia

K

irra-

irrationalia non exeant de natura, in qua
 ea posuisti, nec nobilitentur super anima-
 lia rationalia.

29. Unde, cum homines, *Domine*,
 precipitent & deprimant potentiam ratio-
 nativam, & eam faciant servam sensitivæ;
 propterea ego debeo vilipendi & repre-
 hendi, qui vilificavi potentiam rationati-
 vam, & eam ejeci de illa ordinatione, in
 qua eam posuisti.

30. Unde hoc est, *Domine*, valde
 magnum mirum, quod bestia, quæ sunt
 sine ratione, conservent naturam, in qua
 eas creasti, & ego, qui sum animal ratio-
 nale, exiverim de ordinatione, in qua
 me creasti, per quam inordinationem non
 sum dignus esse in præsentia mei DEI.

CAPUT XLIV.

QUOMODO DEVS ORDINA-

verit in homine Potentiam motivam.

1. **O** *DEVS* gloriose! Gloria & Vir-
 a. tus & Benedictio cognoscantur &
 dentur

dentur Tibi; quia, sicut Tibi placuit ordinare potentiam imaginativam esse in homine remotiorem moventem; ita Tibi placuit ordinare potentiam motivam esse in ipso propinquiorem moventem.

2. *Amorose Domine!* Ratio, quare potentia imaginativa est remotior movens in homine, est, quia res sensuales perveniunt ad eam prius, quam ad potentiam rationativam, & postea ipsa offert eas potentia rationativæ.

3. *Vere Domine!* Ratio, quare potentia motiva est propinquior movens in homine, est, quia, postquam imaginativa obtulit res sensuales rationativæ, rationativa mandat motivæ, ut se moveat ad ducendum in actum id, quod est in potentia tantum.

4. b. *Domine bone, Domine liber, Domine large!* Benignitas & Honorificentia & Nobilitas cognoscantur Tibi & omni, quod tuum est; quia ordinasti in homine, quòd sit medium inter remotius movens & propinquius, quod medium est potentia ratio-

rationalis : unde benedictus sis; nam, quia homo habet medium inter remotius & propinquius movens, est nobilioris dispositionis, quàm ullum aliud animal.

5. Nam, quia animalia irrationalia, *Domine*, non habent medium inter remotius & propinquius movens, sicut ipsum habent homines, propterea non habent potestatem distinguendi inter bonum & malum, cum non sit in eis potentia rationalis, per quam distinguitur bonum & malum.

6. Nam, quando contingit, *Domine*, quòd remotius movens perveniat ad propinquius sinè ullo alio medio, res intellectuales non possunt intelligi nec sciri per res sensuales, quia non intelliguntur nec sciuntur sinè potentia rationali.

7. c. *O Domine DEVS, qui exaudis, quos vis, & beatificas omnes, quos vis! Amatus & honoratus sis Tu, qui ordinasti, quòd potentia motiva sit serva & subdita potentia rationali.*

8. Nam, quia potentia motiva, *Domine,*

mine, est serva potentia rationalis, ideo non potest operari nec adducere in actum id, quod est in potentia, quousque potentia rationalis ei mandet & judicet, an sit rationabile, quod res debeat devenire in actum vel non.

9. Unde, quando potentia rationalis figuravit in rebus, an sit rationabile, quod veniant in actum, tunc mandat motiva, ut se moveat ad ducendum in actum res, quae sunt in potentia; & tunc venit in *esse* actio potentiae motiva per mandatum, quod potentia rationalis ei facit.

10. d. *Essentialis Domine, alte & excellens super omnes altitudines, & potens super omnes potestates*: Valde magna est ordinatio, quam posuisti in homine; quia homo justus procedens per ordinationem, quam posuisti in eo, quoties velit operari, figurat & cogitat, utrum hoc, quod vult facere, sit rationabile, quod fiat vel non; & nunquam remotius movens potest pervenire in ipso ad propinquius, quousque medium, quod est inter ambo moventia, praeviderit hoc,

hoc, quod imaginatum fuerit primum movens, esse justum & ordinatum fieri ad Gloriam & Laudem Tui.

11. Unde ratione hujus ordinationis, quam sequitur homo justus in suis operibus, contingit, *Domine*, quòd, antequam homines sapientes faciant aliquid, quod fuerint imaginati, prævideant, utrùm sit bonum, quòd fiat, vel utrùm sit malum & peccatum.

12. Et, si contingat, *Domine*, quòd homo sapiens imaginetur aliquod opus, quod sit bonum, potentia rationalis percipit bonum, quod sequetur de illo; & vult, quòd illud opus statim reducatur in actum; & si contingat, quòd imaginetur aliquod opus, de quo sequeretur malum, si veniret in actum, potentia rationalis hoc cognoscit & prohibet potentiaè motivæ, ne ducat illud in actum.

13. e. *Infinite Domine, bone super omnes bonitates, abundans omnibus nobilitatibus: Tibi sint sanctificatio & cultus & servitium; quia, sicut homo sapiens vadit per*
viam

viam ordinationis, quam posuisti in eo, ita homo fatuus peccator vadit per viam inordinationis; quoniam, si imaginetur facere aliquam rem, antequam eam offerat potentia rationali, ut figuret & distinguat & videat, utrum sit bonum vel malum, quod fiat, facit pervenire illam ad potentiam motivam, ut reducat eam ad actum, quin eam presentaverit potentia rationali, & propterea potentia motiva adducit in actum id, quod non est figuratum nec iudicatum, utrum sit bonum vel malum.

14. Unde propter hoc, *Domine*, quia homo stultus utitur tali inordinatione, quidquid facit, facit bestialiter & fortuito, quin sciat, an faciat bonum vel malum.

15. Etiam contingit, *Domine*, quod per alium modum homo inordinatus utatur inordinatione in suis operibus, qui modus est, quod, si imaginetur aliqua, quae ei esset bonum facere, & imaginativa offerat illa potentia rationali, quamvis ista
ei

ei demonstret illa esse bona, tamen non vult ea ducere in actum, quia habet potentiam rationalem servam sensitivæ, ratione cujus servitutis rationalis non habet potestatem mandandi motivæ, ut ducat in actum illa, quæ homo est imaginatus; & sic remanent illa bona in potentia, quin veniant in actum.

16. f. *Liber Domine, in quo est nostra directio & restauratio!* Conveniens est, quòd omnes Te amemus & Te adoremus lætanter & devotè; quia tam bonus Dominus & tam bonus Ordinator es Tu, quòd volueris potentiam motivam quandoque desiderare aliquas res adducere in actum, & quandoque repugnare & abhorrere eas adducere in actum.

17. Unde benedictus sis, *Domine DEVS*, qui tam nobiliter ordinasti hominem; quia, sicut ordinasti ipsum super omnes creaturas, sic voluisti, quòd potentia motiva, quæ est in eo, habeat majus placitum in adducendo aliquas res in actum, vel in prohibendo, ne veniant in actum, quàm

quàm potentia motiva aliarum creatura-
rum.

18. Et totum hoc contingit, *Domine*,
ratione medii; quod homo habet inter pri-
mum & ultimum movens; quia, postquam
homo imaginatus est aliquod factum, &
potentia rationalis illud formavit & figu-
ravit, habet majus placitum & diligen-
tiam & curiositatem adducendi illud in
actum, quàm habeat animal irrationale,
quando vult adducere in actum id, quod
imaginatur; nam, quia res facienda est ma-
gìs formata & introducta in animam ho-
minis, quàm in animam animalis irratio-
nalis, propterea est homo magìs diligens
& cupidus ducendi in actum illam rem,
quam amat, quàm sint aliæ creaturæ du-
cendi in actum rem, quam amant; quia
magìs desiderat & vult, qui imaginatur &
figurat & discernit, quàm qui tantum ima-
ginatur.

19. g. *O perdurabilis Domine, plene omni
Sapientiá!* Tu es adeò sapiens & nobilis,
quòd volueris ordinare hominem habere

majorem potestatem vivificandi vel mortificandi suam potentiam sensitivam, quàm ullum aliud animal.

20. Nam, quia potentia imaginativa, *Domine*, offert rationali in homine id, quod imaginatur, perficitur desiderium vel odium in potentia rationali; & per istam perfectionem, quæ fit in anima hominis ratione potentiæ rationalis, habet homo majorem potestatem mortificandi vel vivificandi id, quod sentitur in eo per potentiam sensitivam, quàm habeant potestatem animalia privata ratione mortificandi vel vivificandi illas res, quas sentiunt per potentiam sensitivam.

21. Unde, quia homo, *Domine*, habet majorem potestatem mortificandi vel vivificandi potentiam sensitivam, quàm ullum aliud animal, ideo volunt homines plus comedere & bibere, vel abstinere, quàm sua natura requirat; & quia animalia irrationalia non habent potestatem mortificandi nec vivificandi potentiam sensitivam, propterea sequitur, quòd aves & bestia

tia & pisces comedant & bibant, secundum quod sua natura requirit.

22. h. *Amorose Domine*, plene omni *Misericordiâ*! Magnitudo & Virtus dentur & attribuantur Tibi; quia bene scis, quod homini peccanti scienter, quamvis peccet, multoties tamen sit grave peccare, & non propterea abstinet à peccato: unde iste talis facit peccatum, quia potentia rationalis non se movet ad vincendum potentiam sensitivam.

23. Ratio, quare homo peccans gravetur, quando peccat, est, *Domine*, quia potentia rationalis est adeò nobilis virtutis, quòd omnem rem, in qua sit peccatum & vilitas operis, semper contemnat & semper gravetur, si fiat: unde propter hoc gravatur homo, quando facit peccatum; quia, quoties ratio mandat motivæ, ut se moveat ad faciendum peccatum, toties hoc mandat gravatè & cum displicentia, quia non est de sua natura peccare.

24. Unde, quando potentia rationalis mandat motivæ, ut adducat in actum opus peccati,

peccati, mandat ei, quia potentia sensitiva, quæ est radix, à qua nascitur peccatum, est domina potens super ipsam, quæ per continuatam inordinationem se subjugavit & submisit illi; & propterea contingit, *Domine*, quòd homines, qui non libenter peccant, tamen peccent, quamvis non placeat eis peccare.

25. i. *Sancta Deitas, vera Veritas, & Splendor hominum peccatorum!* Multos homines video, *Domine*, qui sunt peccatores, & habent voluntatem exeundi à peccato, & se mutandi ad viam virtutum, & proponunt vespere crastinâ die exire à peccato, & quando sunt in die sequenti, non volunt, sed proponunt exire alio die, & sic de die in diem transeunt usque ad mortem, quin exeant ab operibus peccati.

26. Unde totum hoc contingit eis, *Domine*, quia sua potentia motiva longiori tempore fuit mota ad faciendum opera peccati, quàm ad faciendum opera virtutum, & ratione temporis & usus, quem habuit ad peccandum, non vult se tam citò movere

movere ad faciendum bonum, sicut se movet ad faciendum malum.

27. Unde benedictus sis, *Domine DEVS*; quia ratione majoris figurationis & imaginationis, quam homo peccator habet in faciendo opera peccati, quàm in faciendo bona opera, est ligata & capta & captivata sua potentia rationalis in malo; & quò magis homo perseverat in peccato, eò magis in eo ligatur & inclinatur potentia motiva ad eundem per viam peccati.

28. K. *Patiens Domine, sapiens, plene omnibus Nobilitatibus!* Benedictus sis Tu, qui ordinasti, quòd ratione potentiaè motivaè, quæ est in homine, homo sit potens se movere de uno loco in alium & de uno facto in aliud, & de vitio in virtutem, & de virtute in vitium.

29. Quoniam finè ista potentia motiva, *Domine*, non posset homo se mutare nec movere nec adducere in actum id, quod est in potentia; & quia istas res non posset, non posset esse ordinatus ad lucrandum

dum meritum boni nec meritum mali.

30. *O gloriose Domine !* Cúm me mutaverim de bonis in mala, & de minoribus malis exierim & intraverim in majora mala, & hoc fecerim per istam potentiam motivam, quâ magis usus sum ad habendum motum ad peccatum, quàm ad virtutem; quid erit de me, quando in die iudicii meum *esse* stabit ante iudicium sui Domini DEI?

CAPUT XLV.

QVOMODO DEVS ORDINA-
verit duas Intentiones in homine.

1. **D**EVUS *gloriose, virtuose!* Magnitudo & Nobilitas dentur Tibi; quia ordinasti hominem in hoc, quòd ei dederis duas intentiones, scilicet primam & secundam; &, quia voluisti, quòd sint duo sæcula scilicet istud, in quo sumus, & aliud, in quo erimus; ideo voluisti, quòd sint in homine duæ intentiones.

2. Unde

2. Unde benedictus sis, *Domine*, qui voluisti, quòd prima intentio hominis sit ad amandum & honorandum Te & ad serviendum Tibi & ad cognoscendum tuam Nobilitatem & tuam Bonitatem; & secunda sit ad possidendum bona, quæ descendunt per merita primæ intentionis.

3. Unde secundum istam talem ordinationem vis, *Domine*, quòd homines habeant primam intentionem in amando & laudando & honorando Te, & serviendo Tibi, & secundam in inquirendo, quomodo possint habere vitam in hoc mundo, ut possint esse possessores primæ intentionis.

4. b. *O vere Domine, sapiens, excellens, nobilis super omnes altitudines!* Sicut creasti istud sæculum propter aliud, & non creasti aliud propter istud; ita voluisti, quòd secunda intentio sit in hominibus propter primam, & non prima propter secundam.

5. Unde propter hoc evenit, *Domine*, quòd prima intentio sit majoris virtutis &

ma-

majoris nobilitatis, quàm secunda ; & quia prima intentio est melior, quàm secunda, ideo convenit, quòd homo se inclinet ad operandum & faciendum quidquid facit propter primam intentionem, & semper habeat ipsam in serviendo Tibi, quia es melior, quàm ulla alia res.

6. Sed quid erit de tuo servo, *Domine*, qui fuit tam inordinatus, quòd primam intentionem habuerit ad res viles & miserabiles, & secundam ad Te? quoniam posui meam primam intentionem ad serviendum mihi ipsi, & secundam ad serviendum Tibi: unde ista fuit major inordinatio, quæ possit esse in ullo homine.

7. c. *Domine dirigens errantes in viam Veritatis!* Misericordia & Beatitudo dentur & attribuantur Tibi; quia per ordinationem & inordinationem, quæ accidit homini ratione duarum intentionum, evenit, quòd homines justi sint ordinati, & peccatores sint inordinati; quoniam justus est ordinatus per hoc, quòd ponat in serviendo Tibi primam intentionem, & secundam

secundam in amando se ipsos ; & peccatores sunt inordinati per hoc, quòd ponant primam intentionem in amando se ipsos, & secundam in amando Te.

8. Laudatus sis, *Domine DEVS*, quia creasti paradisum, ut sit gloria hominibus, qui habent primam intentionem in amando & honorando Te; & creasti infernum, ut sit poena peccatoribus, qui primam intentionem habent in amando & honorando se ipsos.

9. Unde invoceris & colaris & benedicaris, *Domine DEVS*, quia hoc valde bene ordinasti ; nam, quia voluisti secundam intentionem esse, ut sit prima, & primam non esse, ut sit secunda ; ideo sequitur, quòd infernus sit, ut sit paradisus, & paradisus non sit, ut sit infernus ; & propterea sequitur ordinatio, quòd amantes Te primâ intentione eant in paradisum, & amantes se ipsos primâ intentione eant in infernum ; & hoc sequitur, quia nos sumus in *esse*, quia Tu es, & Tu non es in *esse*, quia nos sumus.

10. d. Tibi sint laudes & gratiæ, *Domine DEVS*, qui resuscitas mortuos & vivificas vivos; quia voluisti, quòd, sicut prima intentio est magis nobilis, quàm secunda, ita bonum magis nobiliter devenit in *esse*, quàm malum; quoniam, sicut secunda intentio est, ut sit prima, ita est malum, ut cognoscatur bonum; & bonum non est, ut malum sit.

11. Unde benedictus sis, *Domine DEVS*; nam, quia bonum devenit in nobilitatem, & malum devenit in malitiam & in servitutum in hoc, quòd sit, ut sit bonum; ideo contingit, quòd malum non habeat dignitatem in se nec bonitatem, ratione cujus sit dignum creari & fieri & venire à Te.

12. Nam malum culpæ, *Domine*, non potest nasci nec derivari, nisi à re inordinata per duas intentiones, quæ inordinatio fit, quia prima intentio est posita, ubi deberet esse posita secunda, & secunda, ubi deberet esse posita prima: unde ista talis inordinatio est radix, à qua nascitur & derivatur

rivatur peccatum quotidie in illis, qui habent suas intentiones inordinatas.

13. e. *Benigne Domine, Lumen & Gloria beatorum!* Omnia peccata & mala, quæ fiunt in hoc mundo, derivantur & veniunt ab hominibus inordinatis in suis intentionibus.

14. Nam, si homo, *Domine*, Te amet & Tibi ferviat, ut ei des paradisum, & ne ponas eum in inferno, amat Te secundâ intentione, & se ipsum primâ: unde, quia amat Te, qui es nobilis & bonus, secundâ intentione, quâ non est dignum Te amari; & amat primâ intentione se ipsum, quâ non est dignus amari; propterea sunt peccata & culpæ in eo.

15. Etiam multi homines sunt inordinati, *Domine*, per suas intentiones, quæ sunt inordinatæ in amando res temporales; nam multi vasalli magis amant suum dominum vel suum proximum, ut accipiant dona ab eis, quàm, quia sunt digni amari: unde iste amor est falsus & inordinatus ratione inordinatarum intentionum,

ex

ex quibus nascitur & derivatur.

16. f. *O Domine gloriose, Rex Regum, & Domine Dominorum!* Laudatus & benedictus sis; quia, sicut ordinasti, quòd homo debeat amare Te primâ intentione & se ipsum secundâ, ita homines inordinati in hoc mundo amant se ipsos primâ intentione, & amant Te secundâ.

17. Adeò introductum est in consuetudinem, *Domine*, amare Te secundâ intentione, & amare se ipsos primâ, quòd infantes, quando perveniunt ad tempus discretionis, statim ponant suam intentionem in amando se ipsos in hoc, quòd incipiant inquirere & congregare bona temporalia & gloriam mundanam.

18. Unde hoc est valde magnum mirum, *Domine*, quomodo possit esse, quòd homo cadat in tantam inordinationem, quòd primâ intentione amet res viles & fragiles & indignas amari, & secundâ amet Te, qui es tam nobilibus Dominus & tam conveniens & dignus amari.

19. g. *Domine laudate!* Virtus & Honor

nor & Gloria dentur & attribuantur Tibi, & hominibus hypocritis tribuatur omnis vilitas & omnis falsitas ; quia nulli homines habent suam intentionem tam inordinatam, sicut ipsi.

20. Nam omnia sua facta & omnia sua opera faciunt, *Domine*, cum mutationibus intentionum inordinatarum; quia in hoc, ad quod deberent habere primam intentionem, habent secundam, & in hoc, ad quod deberent habere secundam, habent primam.

21. Et hoc contingit, *Domine*, quia jejunant & orant & faciunt eleemosynas, ut videantur boni ab hominibus, à quibus volunt habere vanam gloriam: unde sicut ipsi deberent jejunare & orare & eleemosynas facere per primam intentionem, faciunt ista per secundam; quia sua prima intentio est ad habendum vanam gloriam in hoc mundo.

22. h. *Laudate Domine, plene Pietate & Misericordiâ!* Tuus servus à Te petit gratiam, ut eum custodias, ne vadat per
viam,

viam, per quam vadunt homines hypocritæ, imò vadat per talem viam, quòd jejuset, & eleemosynas faciat, & vestiatur vilibus pannis intentione Te amandi, & honorandi, & Tibi serviendi.

23. Nam, quia ego, *Domine*, sum res misera & immunda, plena peccato, ideo est dignum quòd torqueam meam personam, & me humiliem ad sustinendum omne id, per quod mea peccata deleantur, & omne id, per quod mea anima non habeat amorem ad ullam aliam rem, nisi ad Te.

24. Etiam Te precor, *Domine*, ut mihi des gratiam, quòd non sim amator cœlestis gloriæ primâ intentione; quia sum res tam parva, & indigna possidere gloriam, quòd parva gloria mihi sufficeret in paradiso, si Tibi placeret, quòd ego recipiar in eum.

25. i. *Vere Domine, amorose!* Maxima iniquitas, & maxima injuria, quæ possit esse in hoc mundo, est, quòd homo amet Te secundâ intentione, & se ipsum primâ; nam, quia es noster Dominus, & es valde
melior

melior & nobilior, quàm nos simus, ideo est justum, quòd Te amemus primâ intentione, & nos ipsos secundâ.

26. Nam omne jus, & omnis ratio, & omnis convenientia demonstrat, quòd id, in quo est omnis potestas, & omnis sapientia, & quod est infinitum & æternum, & sinè ullo defectu, debeat magis amari & honorari, quàm id, in quo nec est potestas, nec sapientia, nec infinitas, nec æternitas, nec ulla res, quæ sit digna amari nec laudari.

27. *Amorose Domine!* Sicut Tu prohibes mari, ne ascendat supra montes & loca plana terrarum, sic placuit Tibi prohibere mihi, ne amem me primâ intentione; & utinam cogeres me ad amandum Te primâ intentione.

28. K. *O Domine DEVS, qui honorasti & nobilitasti primam intentionem super secundam!* Benedictus sis Tu, qui ordinasti, quòd homines possidentes bona temporalia intentione Tibi cum eis serviendi, possint ea possidere sinè peccato, quia habent pri-

primam intentionem in dando gloriam & laudem de Te,

29. Unde quotiescunque procurabunt possidere bona temporalia, *Domine*, ut possint dare pro amore Tui, & ut possint vivere ad honorandum & amandum & laudandum Te, & ad serviendum Tibi, semper lucrabuntur, & facient opera meritoria.

30. Unde benedictus sis, *Domine*; quia non est ita de hominibus peccatoribus; nam, quotiescunque possident bona temporalia intentione serviendi sibi ipsis, & habendi ex eis vanam gloriam ab hominibus, semper peccant; & quò diutius ea possident, & quò plura sunt, eò magis peccant; quia amant se ipsos primâ intentione, & secundâ amant Te, qui es suus Creator & suus DEUS.

CAPUT

QVOMODO DEVS ORDINA-
verit Hominem intra duos Motus.

1. **O** DEVS honorate, benedicte, lau-
date! Gloria & Virtus & Laus
sint Tibi & omni, quod tuum est; quia es
tam sapiens Dominus, quòd ordinaveris
hominem esse inter *duos Motus*, scilicet *pri-
mum & secundum*, & voluisti, quòd *primus
Motus* derivetur à re, quæ est in *esse*,
& *secundus* derivetur à re non habente
esse.

2. Unde, quia primus Motus venit, &
derivatur à re, quæ est in *esse*, ideò, quo-
ties homo, *Domine*, se movet ad facien-
dum aliquid secundùm naturam primi mo-
tus, toties se movet ad faciendum bonum;
& quia secundus Motus descendit & deri-
vatur à re privatâ ipso *esse*, quoties homo,
se movet ad faciendum aliquid secundùm
naturam secundi motus, toties se movet ad
faciendum malum.

3. Unde

3. Unde benedictus sis, *Domine DEVS*; quia ista ordinatio evenit per hoc, quòd homo devenerit de *non esse* in *esse*: unde, cùm *esse* sit bonum homini, quoties homo facit bonum, movet se per primum motum, qui est propinquus ipsi *esse* hominis, & est remotus à *non esse* ipsius; & cùm *non esse* sit malum, quoties homo facit malum, toties facit illud per secundum motum, qui est propinquus ipsi *non esse*, & remotus ab *esse*.

4. b. *Gloriose Rex gloriæ*! Gratia & gratiarum actiones fiant tibi, *Domine DEVS*, quia ordinasti, quòd motus esset prius, quàm privatio rei, quæ est in *esse*; nam, quia creasti hominem ad faciendum bonum, & postquam ipsum creasti, cecidit in peccatum accidentaliter, per hoc probatur, quòd in homine prius fuerit bonum, quàm malum; quia prius fuit in eo *esse*, quod est ei bonum, quàm fuerit in eo peccatum, quod est ei malum.

5. Unde secundùm hoc intelligitur, *Domine*, quòd prius fuerit bonum in homine,

mine, quàm malum; & quia bonum fuit prius in eo, quàm malum, ideo est rationabile, quòd motus ad bonum appelletur *primus Motus*, & motus ad malum *secundus Motus*, quia *primus Motus*, qui fuit in homine, fuit ad bonum, & *secundus* fuit ad malum.

6. Unde, quia bonum fuit prius in homine, quàm malum, ideo, *Domine*, *primus motus* est in homine accidens inseparabile, & *secundus* est in eo accidens separabile: unde, quando homo se movet ad faciendum bonum, se movet secundum naturam rei, quæ possidet *esse*; & quando se movet ad faciendum malum, se movet secundum naturam rei, quæ non possidet *esse*; & propter hoc venit, quòd bonum veniat à re, quæ est in *esse*, & malum à re, quæ non est in *esse*.

7. c. *O Domine DEVS, qui exaudis justos & parcis peccatoribus!* Reverentia & Honor fiant Tibi omni tempore; quia, sicut honorasti & nobilitasti Veritatem super falsitatem, ita ordinasti quòd *primus motus*

motus honoretur & nobilitetur super secundum; nam, sicut falsitas est in *esse*, ut per eam cognoscatur veritas, ita secundus motus venit in *esse*, ut cognoscantur bonitas & nobilitas primi motus.

8. Unde quia falsitas est in *esse*, ut cognoscatur Veritas, & secundus motus est in *esse*, ut cognoscatur primus, ideo, *Domine*, est ordinatum, quòd primus motus & veritas sint unius naturæ, & sint simul, & habeant convenientiam proprietatum; & hoc idem est de secundo motu cum falsitate in hoc, quòd sint unius naturæ & similitudinis & in uno tempore: unde, quando homo, *Domine*, se movet ad amandum & honorandum Te & serviendum Tibi, movet se per primum motum, & secundum Veritatem, quia creasti eum, ut Te amaret & honoraret & Tibi serviret: unde vera Veritas est, quòd homo Te amet & Te honoret & Tibi ferviat.

9. Et, quando homo se movet, *Domine*, ad amandum se ipsum vel aliud plùs, quàm Te, se movet per secundum motum
& per

& per viam falsitatis; quia non creasti eum, ut amet se ipsum vel aliud plús, quàm Te: igitur, si homo se moveat ad amandum se ipsum vel aliud plús, quàm Te, est suus motus in privatione & in falsitate: est in *privatione*, quia venit à *non esse*, quoniam homo non est creatus ad amandum se ipsum nec aliud plús, quàm Te: & est in *falsitate*, quia non est verum, quòd homo debeat amare se ipsum vel aliud plús, quàm Te.

10. d. Deitas & Virtus & Nobilitas cognoscantur Tibi, *Domine DEVS*; quia sicut es unus in tribus Personis & tres Personæ sunt una Substantia divina, ita Tibi placuit, quòd, quando homo se movet per primum motum, moveat se ad amandum tria, scilicet Te, se ipsum, & suum proximum.

11. Unde, quando homo, *Domine*, se movet ad amandum Te ratione tuæ Bonitatis, tunc suus motus est verus; & quando se movet ad amandum se ipsum in ordine ad Te, ut sit tuus servus, etiam suus motus

motus est verus.

12. Et, quando homo se movet, *Domine*, ad amandum suum proximum ad Te honorandum & Tibi serviendum & ad juvandum eum in suis necessitatibus & tribulationibus, tunc se movet per primum motum, qui est verus motus.

13. e. *Misericors Rex Gloria!* Benedictus sis; quia, quando homo se movet per secundum motum, convenit, quòd se moveat per tres vias; quia vel se movet ad inobedientiam tuorum mandatorum, vel ad faciendum injuriam sibi ipsi, vel ad faciendum injuriam suo proximo: unde, si se moveat contra tua mandata, convenit, quòd obliviscatur & ignoret tuam Virtutem & tuam Bonitatem & tuam Honorificentiam; & iste talis motus est vanus & finè omni ratione, & habet respectum & inclinationem ad *non esse* & ad falsitatem & malum & culpam.

14. Et, si homo, *Domine*, se moveat ad amandum se ipsum primâ intentione, & intendit honorari & abundare in comedendo

dendo & bibendo & vestiendo & in habendo delectationes hujus mundi, se movet per secundum motum, qui habet respectum ad *non esse*; quia homo non est *in esse*, ut debeat ponere primam intentionem in amando se, nec ut honoretur in hoc mundo, nec ut abundet vanis delectationibus; & iste motus est per suam naturam falsus & vanus & plenus peccato & culpâ.

15. Et, si homo se moveat, *Domine*, ad odiendum vel injuriandum suum proximum, se movet per secundum motum; quia ipse non est *in esse*, ut odiat suum proximum, nec ut eum prodat vel decipiat vel occidat: unde iste talis motus habet respectum ad *non esse*, quia habet falsam intentionem; quoniam homo non est *in esse*, ut habeat talem intentionem erga suum proximum, sed, ut illum adjuvet, & ut sit suus legalis amicus in omnibus rebus.

16. f. *O supreme Domine, qui tuis servis benefacis amoribus & devotionibus &*

con-

contritionibus ! Sicut ordinasti in quatuor elementis, quòd duo ascendant sursum per levitatem, & alia duo descendant deorsum per gravitatem, ita ordinasti, quòd homo ascendat ad Te per primum motum, & descendat in abyssum per secundum motum.

17. Et sicut duo elementa levia ascendant sursum ratione suæ naturæ, ita, *Domine*, homines ascendentes ad Te per primum motum ascendant per gratiam, quam posuisti in primo motu, quæ gratia est ex parte rei, quæ non est in privatione.

18. Et, sicut duo elementa gravia descendant deorsum ratione ponderositatis, ita, *Domine*, homines descendentes ad infernos descendant ratione naturæ secundi motus, qui caret tuâ gratiâ in hoc, quòd sit de natura privationis, & non esse.

19. g. *O Domine DEVS, qui es siné pari & siné socio* ! Tibi detur Gloria & Sanctitas & Dominium ; quia es tam sapiens

piens Dominus, & tam bonus, quòd ordinaveris, quòd, quoties homo se moveat cum primo motu, se moveat secundum naturam essentialem participantem cum tua gratia & benedictione; &, quoties se moveat cum secundo, se moveat per motum accidentalem participantem cum defectu gratiæ & privatione benedictionis & cum natura ipsius *non esse*.

20. Ratio, quare primus motus, quo homo se movet, sit, *Domine*, motus naturalis homini, est, quia est creatus & factus ad faciendum bonum: unde, quando homo facit bonum, movet se secundum finem, propter quem est creatus.

21. Et Ratio, quare secundus motus, quo homo se movet ad faciendum malum, sit motus ei non naturalis, est, *Domine*, quia facit rem, quæ non est illius naturæ, cujus est suum *esse*, sed est naturæ ipsius *non esse*; cum faciat malum, quod est alia res ab illa, propter quam venit in *esse*.

22. h. *Domine amorose, patiens, plene gratiâ!* Laudes & honores & gratiæ & gra-

M

tiarum

tiarum actiones fiant Tibi; quia, si homo se moveat ad peccatum & ad malum, non se movet ratione ullius naturæ nec ullius proprietatis, quam creaveris & appropriaveris ei; quia omne id, quod creasti & appropriasti homini, est bonum: cum igitur omne id, quod in illo posuisti, sit bonum, si homo faciat malum, non facit illud ratione alicujus rei, quam posueris & creaveris in eo.

23. Imò convenit, *Domine*, quòd causa, quam homo habet ad faciendum malum, veniat ab alia re, quæ non sit ulla earum, quas posuisti in eo; quæ res est *non esse*, à quo derivatur peccatum in hoc, quòd, quando homo peccat, faciat rem, quæ non est digna esse in *esse* ratione suæ miserix & fragilitatis; ergo radix peccati est privatio.

24. Unde, cum Tu, *Domine DEVS*, ordinaveris hominem cum libera voluntate inter istos duos motus, quando contingit, quòd homo se moveat per secundum motum, movet se ad defectum & destructionem

structionem & finitionem, quia secundus motus & *non esse* assimulantur in natura; & quando se movet per primum motum, movet se ad durationem & benedictionem & vitam, quia primus motus & *esse* assimulantur in natura.

25. i. *Virtuose Domine, plene Dulcedine & Misericordiâ!* Perseverantiam & Durabilitatem attribuamus & cognoscamus Tibi; quia tali modo ordinasti hominem, quòd, quamvis in eum cadat peccatum, tamen non sequatur, quòd peccatum veniat à Te nec per Te.

26. Nam, quamvis secundus motus sit malus & sit peccatum, & homo sit subiectus peccato, tamen peccatum non cadit in hominem per tuum opus, sed cadit in eum ratione naturæ privationis, quæ est radix, à qua accidentaliter derivatur secundus motus in homine.

27. Et, quòd hoc sit verum, potest cognosci & probari, *Domine*, in homine peccatore, qui se movet ad vanam gloriam & ad superbiam & ad delectationes temporales;

porales; nam causa, propter quam se movet ad ista vitia, non est illa, propter quam dedisti ei *esse*, imò est causa, quæ venit à *non esse* in hoc, quòd non sit rationabile ipsam esse in *esse*.

28. K. *O Rex sancte, gloriose!* Amor & laus & cultus & servitium sint Tibi, qui tam bene ordinasti hominem inter primum & secundum motum; nam, sicut homines peccatores, qui se movent in hoc mundo per secundum motum, se movent sinè ratione & sinè causa in hoc, quod faciunt, sic infernantur & condemnantur in infernis secundum veram rationem, quia habes veram causam, dandi eis perdurabilem poenam.

29. Et homines justi, *Domine*, qui in hoc mundo se movent per primum motum, se movent secundum rationem in hoc, quod faciunt; quapropter habes veram causam dandi eis cœlestem gloriam, quæ nunquam habebit finem.

30. Unde benedicta sit, *Domine*, tua Ordinatio & tua magna Sapiencia; quia
valde

Vol. I. Lib. II. Dist. XI. Cap. XLVII. 181
valde bene ordinasti, quòd, si homo faciat in hoc mundo aliquid sinè ratione & causa, vadat per secundum motum; &, si faciat aliquid secundum rationem & justitiam, vadat per primum motum; nam, *non ratio & non esse* sunt similia, & *ratio & esse* sunt etiam similia: unde ametur talis Dominus, à quo derivatur tanta ordinatio, quæ est ad tuam laudem & gloriam, *Domine DEVS.*

CAPUT XLVII.

QVOMODO DEVS ORDINA-
verit Hominem inter Voluntatem &
Potestatem.

1. **O** *DEVS* pie & misericors & abundans pietate & gratiâ! Benedictus sis Tu, qui ordinasti hominem inter potestatem & voluntatem, sicut ordinasti naturam inter potentiam & actum.

2. Unde laus & cultus & servitium sint Tibi, *Domine*; quia dedisti homini voluntatem,

luntatem, per quam velit Te amare & honorare & laudare & adorare, & Tibi servire; & benedictus sis, quia ei dedisti potestatem perducendi ad perfectionem id, quod est in sua voluntate.

3. Valde magna est ordinatio, quam posuisti, *Domine*, in homine in hoc, quòd ei dederis potestatem & voluntatem; quia nullus homo est, qui excusetur ab amando Te, & Tibi serviendo, sive sit dives sive pauper, sive sanus sive infirmus, sive liber sive servus; cùm, in quocunque statu sit, semper sit potens Tibi servire & Te amare.

4. b. *O Domine virtuose, Salvator noster!* Virtus & Honor & Gloria dentur Tibi omni tempore; quia tali modo & dispositione ordinasti hominem, quòd secundum opera, quæ facit in hoc mundo, se ordinet, vel inordinet ad habendum voluntatem & potestatem faciendi bonum vel malum.

5. Nam aliqui homines sunt, *Domine*, qui habent voluntatem & potestatem faciendi

ciendi bonum, & aliqui sunt, qui habent tantum voluntatem faciendi bonum, & non habent potestatem.

6. Et aliqui homines sunt, *Domine*, qui habent potestatem faciendi bonum, & non habent voluntatem; & aliqui sunt, qui habent voluntatem & potestatem faciendi bonum, & non est in eis operatio, quia non faciunt bonum, nec evitant malum.

7. c. *Gloriose Rex honorate, liber Dator omnium bonorum!* Laudetur & benedicatur tua magna Justitia, quia judicas homines habentes voluntatem faciendi bonum vel malum, & non habentes potestatem, sicut si facerent bonum vel malum.

8. Etiam ametur & laudetur, *Domine*, tua magna Justitia; quia ita judicas homines habentes potestatem faciendi bonum & evitandi malum, & non habentes voluntatem, sicut, si haberent voluntatem & potestatem insimul; nam in tantum debet reputari homini potenti facere bonum & evitare malum, & non volenti, sicut si faceret

ceret malum; quia semper est culpabilis, quando se non vult inclinare ad volendum facere bonum & evitare malum; cum omnis homo possit habere voluntatem faciendi bonum & evitandi malum.

9. Et simili modo est, *Domine*, de hominibus justis, qui habent potestatem, & non habent voluntatem faciendi malum; quia de potestate faciendi malum, quam habent, venit eis meritum per hoc, quod possint, & non velint illud facere.

10. d. *Creator Domine!* Tibi fiat reverentia & honor à tuo servo, cui fecisti gratiam in hoc, quod ordinaveris suam voluntatem, ut suæ potestati sit occasio boni, & suam potestatem, ut suæ voluntati sit occasio boni.

11. Nam, quando Tibi placet, *Domine*, dare homini magnam voluntatem faciendi bonum, sua magna voluntas aperit ei viam & semitam, ut habeat potestatem faciendi bonum; & quando das homini magnam potestatem faciendi bonum, sua magna potestas aperit ei viam & semitam,

Vol. I. Lib. II. Dist. XI. Cap. XLVII. 185
mitam, ut habeat voluntatem faciendi bonum.

12. Tam vilis res est homo, *Domine*, & tam plena peccato, quòd non videatur ei istam ordinationem, quæ est in eo per voluntatem & potestatem, esse in ipso; quia, quando se sentit cum parva voluntate faciendi bonum, videtur ei, quòd non habeat potestatem faciendi ipsum; & quando non sentit magnam potestatem faciendi bonum, videtur ei, quòd non debeat habere voluntatem; & ita videtur homini se esse excusatum, si non faciat bonum; quam excusationem nemo habet secundum ordinationem, quam posuisti in homine.

13. e. *Honorate Domine, gratiose, plene omnibus viribus!* Tu ordinasti, quòd in homine voluntas sit occasio multiplicandi potestatem faciendi bonum, & evitandi malum, & potestas sit occasio multiplicandi voluntatem faciendi bonum, & evitandi malum, & istam talem ordinationem multiplicationis voluntatis & potestatis voluisti,
isti,

isti, ut homo habeat magnam potestatem, & magnam voluntatem in Te amando & honorando & Tibi serviendo.

14. Sed, quia homo, *Domine*, est res vilis & misera per peccatum, plurimi homines conantur habere majorem potestatem in amando se ipsos, quàm in amando Te; & pro uno actu amoris, quem habeant erga Te, & serviendo Tibi, habent centum in amando & honorando se & serviendo sibi ipsis.

15. Unde, quia nos, *Domine*, tam fortiter conamur habere potestatem & voluntatem in amando nosmetipsos, ideò contingit, quòd potestas, quam posuisti in nobis, non multiplicet voluntatem faciendi bonum & evitandi malum, nec voluntas multiplicet potestatem faciendi bonum & evitandi malum; imò contingit contrarium; nam, quia plús amamus nosmetipsos, quàm Te, ideo potestas multiplicat nostram voluntatem, & voluntas multiplicat nostram potestatem in faciendo malum, & evitando bonum.

16. f. Unitas & Perdurabilitas cognoscatur Tibi, *Domine DEVS*, omni tempore; quia est valde magnum mirum, quòd homines habeant tam magnam potestatem negotiandi in vanitatibus hujus mundi ad procurandum & congregandum divitias, & ad habendum delectationes.

17. Unde benedictus sis, *Domine DEVS*; quia, quò majorem potestatem habent homines faciendi bonum, eò majorem poenam debent habere, quando non volunt habere voluntatem faciendi bonum.

18. Unde multò meliùs esset homini, *Domine*, non habere potestatem faciendi bonum, postquam non vult habere voluntatem, quàm sit habere potestatem, & non velle habere voluntatem faciendi bonum.

19. g. *Liberalis Domine misericors in omni tempore, quo misericordiam á Te petimus!* Tu ordinasti inter voluntatem, & potestatem divitias & paupertatem in hominibus; nam multi homines pauperes bonis
tem-

temporalibus sunt magis divites veris divitiis, quàm illi, qui sunt divites bonis temporalibus: unde totum hoc contingit, quia in homine sunt voluntas & potestas.

20. Nam, quò majorem potestatem dives avarus habet, *Domine*, lucrandi & congregandi divitias, eò magis captivat suam voluntatem in servitute ipsarum; & tot congregat, donec fit servus & captivus earum; & postquam sua voluntas est serva divitiarum, est magis pauper, quàm dives; sed non est ita de beato paupere, qui, quò minorem habet potestatem lucrandi divitias, eò minús eas appetiat, & quò minús eas appetiat, eò plús est sua voluntas libera ad amandum Te, & hoc modo est plús dives, quàm pauper, secundúm veras divitias.

21. Etiam, *Domine*, homines divites bonis temporalibus sunt alio modo in majori captivitate & servitute, quàm pauperes; quia, quò ditiores sunt, eò plús obligantur ad faciendum pauperibus eleemosynam,

synam, quando pro tuo amore petunt.

22. h. *Gratiosè Domine, virtuosè in omnibus Nobilitatibus!* Magnitudo & Fortitudo & Bonitas attribuantur & dentur Tibi, & nobis attribuantur fragilitas & miseria; quia sumus adeò miseri & fragiles, quòd ordinationem, quam posuisti in nobis, inordinemus, quoniam sumus divites & pauperes; nam dives putat esse in hoc mundo in majoribus divitiis, & in majori libertate, quàm pauper, & pauper putat esse magis pauper & servus, quàm dives.

23. Nam videtur homini diviti, *Domine*, quòd non teneatur, nec obligetur ad faciendum bonum, nec ad evitandum malum ratione suarum divitiarum; & ideo videtur ei, quòd sit liber & non subditus, & reputat se divitem.

24. Et homo pauper, *Domine*, quia se sentit indigentem in comedendo, & bibendo, & vestiendo, existimat, quòd sit servus & pauper, & ignorat libertatem, quam habet in hoc, quòd non sit adeò obligatus ad faciendum bonum, &
ad

ad evitandum malum, sicut dives: unde secundum hoc fere omnes divites & pauperes sunt extra ordinationem, in qua eos posuisti.

25. i. *Singularis Domine misericors & abundans Pietate & Gratiâ*: Benedictus sis, quia es adeo Sapiens, quod nemo posset aestimare & comprehendere ordinationem, in qua posuisti homines, nec est, qui posset cogitare nec perpendere inordinationum, in qua homines se posuerunt.

26. Nam adeo magna est, *Domine*, ordinatio, quæ est in hominibus, per hoc, quod posueris in eis potestatem & voluntatem, quod una pauper foemina valeat plus, quam Rex, si foemina habeat voluntatem faciendi bonum, & Rex habeat potestatem, & non habeat voluntatem.

27. Unde lauderis & ameris, *Domine DEVS*; quia ratione tuæ ordinationis fit pauper foemina melior, quam avarus Rex, & per inordinationem, in qua est avarus

rus

rus Rex in hoc, quòd sit potens facere bonum, & non velit, fit magis vilis & abjectus & pauper & miser, quàm pauper vetula, quæ habet voluntatem faciendi bonum.

28. K. *Patiens Domine alte & nobilis super omnes altitudines & nobilitates!* Adeò vis, quòd omnis nostra potestas & voluntas sit integrè in amando & honorando Te, & serviendo Tibi, quòd multæ sint rationes & causæ, quas nobis dedisti, per quas perveniamus ad Te per meritum Te amandi & honorandi & Tibi serviendi.

29. Valde magnum mirum est, *Domine*, quomodo possit esse, quòd ullus homo minuat suam voluntatem in amando Te & serviendo Tibi, eò quòd cogitet & contempletur tuam magnam Bonitatem & tuam Incarnationem & Passionem, & suam vilitatem & miseriam; quia quando deberet augere suam voluntatem in Te amando, non deberet eam minuire.

30. Be-

30. Benedictus sis, *Domine DEVS*; quia, quò magis homo cogitat & contemplatur in tua Bonitate & Virtute, eò magis deberet crescere in eo voluntas & potestas Te honorandi & Tibi serviendi & dandi laudem de tua Essentia humana unitâ cum Essentia divina.

CAPVT XLVIII.

QVOMODO DEVS ORDINAVERIT, quòd Homo possit eligere Veritatem vel Falsitatem.

1. **D***EV*S *honorate, virtuose!* Tu in-
a. **D** voceris & lauderis & ameris & Tibi serviatur, qui habes tantam Sapientiam & Bonitatem, quòd posueris hominem inter veritatem & falsitatem; & voveris ordinare, quòd veritas veniat & derivetur à re habente *esse*, & falsitas descendat & derivetur à re privata ipso *esse*.

2. Unde benedictus sis, *Domine DEVS*, qui voluisti, quòd veritas sit in amando
do

Vol. I. Lib. II. Dist. XI. Cap. XLVIII. 193
do & honorando & laudando & benedi-
cendo Te, & in serviendo Tibi; nam, quia
es DEUS, & Creator & Dominus, & ha-
bes Perfectionem omnis boni, dignum est,
quòd, quandocunque homo Te laudat &
amat & honorat, vadat per viam Veri-
tatis.

3. Nam, quoniam es adeò altus &
nobilis Dominus, Veritas est in illis, qui
diriguntur ad amandum & honorandum
Te, quia ordinasti, quòd homo sem-
per eat per Veritatem, quando facit id,
quod est rationabile facere, & dicere, &
velle.

4. b. *Domine magne, Domine sapiens,*
Domine sancte! Reverentia & honor fiat
Tibi omni tempore; quia ordinasti, quòd
omnes homines, qui negotiantur, ut ho-
norentur & ut habeant vanas delectatio-
nes & vanam gloriam & abundantiam
divitiarum, incedant per viam falsita-
tis.

5. Nam, quia homo est in *esse, Do-*
mine, ad laudandum & ad honorandum

N

Te,

Te, & ad serviendum Tibi, non est dignum, quòd procuret sibi laudem nec honorem nec prosperitates; & si contingat, quòd procuret id, quod non pertinet ad eum possidere, facit contra finem, quare est creatus & factus; & ratione istius contrarietatis vadit per viam falsitatis, & falsè & abjectè facit omne id, quod facit.

6. Nam, sicut veritas, *Domine*, dat regulam & causam Te amandi & honorandi & Tibi serviendi, sic falsitas se ponit in omnibus illis, qui amant & desiderant habere vanam gloriam & vanas delectationes in hoc mundo; quia homo est tam vilis res, quòd non sit dignus laudari per se, nec possidere vanitates; & vana gloria & vanæ delectationes non sunt tales, quòd mereantur esse in *esse*, nec mereantur procurari eas devenire in *esse*.

7. c. *O Domine sapiens, amorose!* Virtus & Gloria cognoscantur esse in Te; quia ordinasti, quòd, quoties homo cogitat & perpendit suam vilitatem & suam miseriam, eat per viam Veritatis, quoniam se
cog-

Vol. I. Lib. II. Dist. XI. Cap. XLVIII. 195
cognoscit esse fragilem & miserum & ser-
vum ad amandum & laudandum & cog-
noscendum tuam Bonitatem.

8. Quòd homo, *Domine*, sit res vilis
& misera, & sit mortalis & finitus & ig-
norans, est verum; & hoc potest quilibet
probare in se ipso: unde, quando homo
cognoscit se ipsum talem, qualis est, sua
cognitio semper vadit secundum Verita-
tem, quia confitetur id, quod est in se,
esse in se.

9. Tibi, *Domine DEVS*, sit Gloria
& Laus, qui adeò bene ordinasti homi-
nem; nam, quia verum est, quòd sis per-
fectus in omnibus Virtutibus, quoties ho-
mo Tibi attribuit laudem & honorem, to-
ties est in Veritate; &, quoniam verum
est, quòd homo sit res misera & parvi va-
loris & parvæ potestatis, quoties sibi cog-
noscit defectum & miseriam, toties utitur
Veritate.

10. d. *Iuste Domine!* Contemplatio &
devotio & amor petatur & speretur à Te;
quia ordinasti, quòd per accedere ad Te,

acce-

accedat homo ad Veritatem, & per elongare se à Te, accedat ad falsitatem: unde ista talis ordinatio est facta, *Domine*, quia es omnis Veritas, & nulla res, quæ non sit Veritas, potest esse in Te.

11. Unde, quando homo accedit ad Te, *Domine*, per amorem & per honores & laudes, quas Tibi dat, toties accedit ad Veritatem; quia verum est, quòd debeas amari & laudari & honorari; & quoties homo se elongat à Te per defectum amoris & laudis & honoris, quem Tibi non dat, toties accedit ad falsitatem; quia dat & attribuit sibi ipsi id, quod non est in se, & non vult dare nec attribuere Tibi id, quod est rationabile Tibi dari & attribui.

12. Laus & Gloria & Benedictio dentur, *Domine*, ordinationi, quam posuisti in homine per hoc, quòd possit ire per viam Veritatis vel falsitatis, nam, si se elongat à Te, vadit per viam falsitatis; quia in Te non est ulla res, quæ non sit vera; & si homo accedat ad Te, vadit per viam Veritatis,

Vol. I. Lib. II. Dist. XI. Cap. XLVIII. 197
ritatis, quia Tu es vivus fons Veritatis, &
Veritas non venit, nisi à Te.

13. c. *Vere Domine, liberalis, pie, abundans omni bono & omni Virtute!* Tibi sint gratiæ & gratiarum actiones pro magna ordinatione, quam posuisti in homine; quia ordinasti, quòd cor hominis sit camera, in qua sit Veritas, & ordinasti, quòd lingua loquatur Veritatem, & oculi respiciant in opera Veritatis, & aures audiant vera verba, & manus faciant vera opera, & pedes eant per veras vias.

14. Si Tu, *Domine DEVS*, debeas laudari & benedici propter ordinationem, in qua posuisti hominem, videtur mihi, quòd homines debeant vilipendi & reprehendi, quia exiverunt à via Veritatis, in qua eos posuisti; quoniam fere omnes faciunt suum cor cameram falsitatis, & suum os portam falsitatum, & suos oculos fenestras mendaciorum, & suas aures foramina fabularum; & fere omnes faciunt suas manus operari vanitates, & suos pedes ire per obliquas vias.

15. Ra-

15. Ratione magnæ Virtutis & magnæ Perfectionis Nobilitatis & Bonitatis, quæ est in Te, *Domine DEVS*, est Veritas in Te; & est ordinatum, quòd omnia vera veniant à Te, & ratione magnæ culpæ & infaniæ & defectus, qui est in hominibus, evenit, quòd falsitas & error sit in eis, & veniat ab eis, & per eos.

16. f. *Suavis Domine, plene Pietate!* Gloria & Robur & Honor dentur Tibi, *Domine DEVS*, qui ordinasti, quòd in alio sæculo sint duo loca, unus paradisus & alter infernus; & voluisti, quòd paradisus sit locus Veritatis, in quo stent illi, qui in hoc mundo fuerint in veris operibus; & voluisti, quòd infernus sit locus, in quo stent illi, qui in hoc mundo fuerint in falsis verbis & in falsis operibus.

17. Quotquot homines, *Domine*, sunt in hoc mundo, omnes debent ire per unam duarum viarum, scilicet per viam Veritatis vel per viam falsitatis: unde illi, qui eunt per viam Veritatis, ordinatè eunt in paradisum, quia cum Veritate eunt in locum

Ve-

Veritatis; & illi, qui eunt per viam falsitatis, inordinatè & falsè eunt in infernum, in quo est falsitas & congregatio hominum inordinatorum.

18. Qui eunt ad paradisum per viam Veritatis, *Domine*, sunt illi, qui in hoc mundo cognoscunt Veritatem in hoc, quòd cognoscant Te Dominum universorum, quæ sunt, & cognoscant, quòd sis nobilior & melior Dominus, & qui est magis amandus & honorandus, & cui est magis serviendum; & cognoscant se ipsos esse res viles & tenues & miseræ: unde, cùm ista cognitio sit in Veritate, ideo sunt in Veritate omnes illi, qui ita cognoscunt Te & se ipsos; & illi eunt ad infernum per viam falsitatis, qui putant, quòd venerint in hunc mundum, ut laudent & ament se ipsos; & putant se plus valere, quàm valeant.

19. g. *Humilis Domine, liber, in quo est omnis Virtus & omnis Bonitas!* Benedictus sis Tu, qui voluisti ordinare, quòd homo sit in Veritate dicendo Veritatem illis, qui
eam

eam ignorant; & per vera opera homo sit verus Magister illorum, qui sunt in falsis operibus; & voluisti, quòd narrantes Veritatem sint illi, qui res narrant ordinatè, sicut eas audiverunt, sinè additione & diminutione.

20. Sed non est ita, *Domine*, de hominibus mendacibus, quia ipsi, quando narrant res veras, vel auferunt de Veritate, vel addunt falsitatem; & adeò sunt homines amantes falsitatem & odio habentes Veritatem, quòd id, quod dicunt, non faciant, & faciant id, quod non dicunt; & quærunt id, quod non perdiderunt, & pingunt & ornant falsitatem, & conspurcant Veritatem, quantúm possunt.

21. Quidquid homines veraces dicunt, *Domine*, etiam faciunt; & illa, quæ intelligunt esse vera, dicunt esse vera; & illa, quæ vident esse falsa, dicunt esse falsa; & relinquunt vias obliquas, & eunt per rectas, sed non est ita de falsis & mendacibus; quia quando putant invenire Veritatem, inveniunt falsitatem, & quando putant

putant invenire falsitatem, inveniunt Veritatem, & ubicunque sint semitæ malæ, obliquæ & periculosæ, per illas eunt nocte & die.

22. h. *Gloriose Domine, plene Gratiâ!* Benedictus sis, qui ordinasti, quòd, sicut hic mundus est in falsitate, & vadit per falsitatem, sic quinque sensus corporales vadant per falsitatem, & stent in vanis delectationibus & in falsitate; &, sicut aliud sæculum vadit per Veritatem, sic quinque sensus spirituales vadant per viam Veritatis & stent in Veritate, quoties ordinatè tractant de altero sæculo.

23. Ratio, quare quinque sensus corporales, *Domine*, sunt in falsitate, est, quia, quando homo putat invenire perfectam dulcedinem, vel perfectum placitum in his rebus mundanis, invenit in eis defectum placiti & dulcedinis & delectationis.

24. Et ratio, quare quinque sensus spirituales sunt in Veritate, est, *Domine*, quia omne placitum & omnem gloriam, quam

quam homo sperat habere in paradiso, invenit in eo, ita, quòd nihil deficiat; imò invenit ibi plús, quàm possit imaginari & cogitare.

25. i. *O Domine DEVS, Principium universorum, quæ sunt!* Tibi sit amor & servitium, & tuo servo sit verecundia & timor à suis gravibus delictis; quia adeò fui in falsitate, quòd perierim & submersus sim in ea; quoniam in falsitate steti manè & vesperè, & omnibus horis diei & noctis ita steti in falsitate, sicut rana natans in aqua.

26. Adeò fui falsus & amator falsitatis, *Domine*, quòd, sicut mare est fons, ex quo derivantur omnes aquæ, ita meum cor fuerit fons, ex quo exierunt omnes falsitates, & meum os fuerit porta aperta omnibus mendaciis & fraudibus, & clausa omni Veritati.

27. Cúm fuerim tanto tempore in falsitate, *Domine*, quando erit illa dies, quâ me mutem ad statum Veritatis, & in meo corde non sit, nisi Veritas, & meum

os non loquatur nisi verba Veritatis, & tanta Veritas sit in meo corde & in meo ore, quòd non timeam mori pro Veritate.

28. K. *Virtuose Rex Gloria!* Tu nobilitasti & fecisti Veritatem Dominam super falsitatem; sed nos, *Domine*, sumus adeò viles & pleni falsitate, quòd multò plus multiplicaverimus falsitatem, quàm Veritatem; quia adeò magna est in hoc mundo quantitas falsitatis, quòd in omnibus opificiis & in omnibus operibus, quæcunque sint, posuerimus falsitatem.

29. Adeò sumus, *Domine*, in fraude & in falsitate, quòd totâ die eat Veritas inter homines, & vix inveniat, qui eam agnoscat & recipiat, & cum ea soletur & ei se associet, & qui cum ea exaltetur, & qui faciem vertat ad eam, imò est inter nos quasi res ignorata.

30. Unde, cum Veritas & falsitas sint contrariæ, ratione contrarietatis earum evenit, *Domine*, quòd euntes per vias Veritatis cognoscant ipsam, & quoties obvi-
ant

ant ei sint amici & focii ipsius; & euntes per vias falsitatis, quoties obviant Veritati, avertant faciem & fugiant ab ea, & insequantur falsitatem nocte & die: unde benedictus sis, *Domine DEVS*, qui ordinasti hunc mundum & alterum ratione meriti, quod est in homine, secundum quod est in Veritate vel falsitate; quia per earum contrarietatem melius agnoscitur Bonitas tuæ Essentiæ divinæ.

CAPUT XLIX.

QVOMODO DEVS ORDINAVERIT hominem, quia illum posuit inter eligere bonum vel malum.

1. **D***ivine Rex Glorie!* Laus & Honor a. **D**sint Tibi, qui ordinasti, quòd homo recipiat Ordinationem per hoc, quòd sit inter bonum & malum: unde benedictus sis, *Domine*, qui voluisti, quòd *esse* sit res habens possessionem boni, & *non esse* sit radix, à qua derivatur malum.

2. *Cum*

2. Cùm homo, *Domine*, venerit de *non esse* in *esse*, convenit, quòd sit inter *esse* & *non esse*: est inter *esse* & *non esse*, quia de *non esse* devenit in *esse*; &, nisi dedisses ei *esse*, non esset in *esse*; &, nisi sustineres eum in *esse*, reverteretur in *non esse*.

3. Unde benedictus sis, *Domine DEVS*; nam, quia ordinasti, quòd homo sit inter *privationem* & *esse*, ideo contingit, quòd accidentaliter sit subiectus bono vel malo; quoniam per *possessionem* ipsius *esse*, in quo est, cadit bonum in eum: & per *propinquitatem*, quam suum *esse* habet ad *non esse*, cadit malum in ipsum.

4. b. *Vere Domine* ! Tibi sint laudes & gratiæ & gratiarum actiones, qui ordinasti, quòd homo sit servus & subditus tuæ Bonitatis & tuæ Nobilitatis & tuæ Honorificentiæ; quoniam obligasti eum ad Te amandum & laudandum & honorandum & Tibi serviendum & ad cognoscendum Bonitatem tuæ benedictæ Essentiæ.

5. Nam, quia Tu, *Domine DEVS*, per Te ipsum habes omnem Bonitatem

&

& omnem perfectionem Virtutum, es adeò abundans omni bono, quòd nullam habeas indigentiam nostri, nec tuæ Bonitati ulla res sit necessaria: unde, quando Tibi placeat, quòd simus tui amatores & fervi, non hoc vis, quia Tibi sit necessarium, imò hoc vis, quia oportet, quòd sint homines, qui sint fervi & cognitores tuæ Bonitatis.

6. Unde homines inobedientes tuis mandatis, & non amantes nec laudantes Te, *Domine*, non faciunt indigentiam tuo honori nec tuo bono; sed, quò plus Tibi sunt inobedientes & ignorantes tuæ Bonitatis, eò plus participant in suo malo & in sua stupiditate, & eò plus habent deficientiam boni.

7. c. *O Domine DEVS, qui es primus & postremus & melior & major in omnibus rebus!* Tu ordinasti hominem inter suum bonum & suum malum, quia majus bonum, in quo homo possit esse, est, quòd sit tuus amator & laudator & servus, & amet suum proximum, & eum juvet, in quantum possit, in omnibus suis necessitatibus;

tibus; & quòd sciat cognoscere fragilitatem & miseriam, quam habet in se ipso, & confiteatur & fateatur de Te omnem Bonitatem & omnem Nobilitatem, & de se ipso omnem fragilitatem & miseriam.

8. Et, si contingat, *Domine*, quòd homo non amet nec honoret Te, nec amet suum proximum, nec cognoscat in se suum defectum, tunc est subjectus suo malo & suo damno & suo defectui.

9. *Beate Domine!* Sicut homo peccator per mala opera se facit subjectum malo sui ipsius, sic homo justus per sua bona opera se facit subjectum bono sui ipsius & bono sui proximi: unde benedictus sis, qui hoc tam bene ordinasti.

10. d. *Perdurabilis Domine, in quo est omnis Perfectio & omnis Directio!* Tu es, qui ordinasti hominem in hoc, quòd posueris eum inter *receptionem tuae gratiae, & privationem ipsius.*

11. Homines, quos Tu, *Domine*, ordinasti per *receptionem tuae gratiae*, sunt illi, quibus fecisti & dedisti gratiam & adjuto-
rium

rium sapientiæ & aliarum virtutum; quia ista dona faciunt eos esse ordinatos in amando & honorando Te & in serviendo Tibi.

12. Homines, qui sunt privati tuâ gratiâ, *Domine*, sunt illi, qui non amant Te, nec obediunt Tibi, nec Te honorant, nec Tibi serviunt; & ideo sunt inordinati, quia faciunt opera inordinata, per quæ fiunt peccatores & culpabiles.

13. e. Tibi, *Domine DEVS*, qui gratificas & beatificas, quos vis, & quos Tibi placet, cognoscatur omnis nobilitas & omnis virtus; quia ordinasti hominem in hoc, quòd posueris eum inter meritum boni & mali; & velis, quòd, qui merentur bonum, possideant gloriam, & qui merentur malum, habeant pœnam.

14. Qui merentur gloriam, eam merentur, *Domine*, quia sunt amatores & laudatores Tui, qui es suprema Bonitas; & quia isti faciunt, quod debent verâ intentione, vis, quòd sint ordinati in bono.

15. Illi

15. Illi homines, qui merentur pœnam, eam merentur, *Domine*, quia sunt amatores mali, & habent falsam intentionem in omni, quod faciunt; & propterea est dignum, quòd sint culpabiles, & sint in malo & in pœna, quia sua opera sunt inordinata.

16. f. *Abundans Domine, in quo est omnis Misericordia!* Tu es, qui ordinasti hominem inter *malum pœnae*, & *malum culpæ* & peccati.

17. Quia Tu, *Domine*, ordinasti, quòd ratione mali culpæ, quæ cadit in hominem, cadat in eum malum pœnæ; ideo voluisti, quòd malum pœnæ non sit in homine prius, quàm malum culpæ: igitur secundum hoc in humana natura, quæ tota fuit in Adamo, quando peccavit, prius fuit malum culpæ, quàm malum pœnæ.

18. Unde magna ordinatio fuit, *Domine*, quando Tibi placuit, quòd malum pœnæ effet post malum culpæ; nam, quia malum pœnæ est ad tormentandum illos,

O

qui

qui habent culpam, convenit prius esse culpam, quam poenam: etiam, *Domine*, ordinasti, quod sicut fames & sitis & calor & frigus & mors ceciderunt in hominem per peccatum Adami, sic homines peccatores post culpam, quam habent in suis peccatis in hoc saeculo, habeant malum poenae in alio saeculo.

19. g. *O Domine prime & postreme*: Durabilitas sine fine cognoscatur Tibi; quia in Te est tanta Sapientia, quod volueris ordinare, quod homo sit in statu eligendi minus bonum & majus bonum, & volueris, quod minus bonum sit in hoc mundo, & majus bonum sit in gloria caelesti; etiam voluisti ordinare, quod homo prius perveniat ad minus bonum, quam ad majus, quia hic mundus est prior alio.

20. Valde bonam ordinationem fecisti, *Domine*; quia voluisti, quod minus bonum sit prius, quam majus; nam, quia minus bonum est in hoc mundo, & majus in alio, ideo temporalia bona habent finem, & spiritualia sunt absque omni fine.

21. Bona,

21. Bona, quæ habemus in hoc mundo, *Domine*, sunt in victu & vestitu, & in conversationibus & consolationibus & recreationibus; & quia ista bona sunt in nobis, & possidentur à nobis, ideo non est rationabile, quòd sint durabilia, imò est rationabile, quòd habeant finem; sed bona, quæ sunt in tua Gloria, debent esse durabilia, quia veniunt à Te, & sunt in Te, & sunt ad tuam Nobilitatem & Honorem.

22. h. *Domine sapiens, sciens omnia, quæ sunt in hoc mundo & in alio!* Tu ordinasti hominem in hoc, quòd eum posueris in libertate faciendi bonum vel malum, ut possit facere bonum vel malum, quodcumque velit.

23. Unde benedictus sis, *Domine*, quia Tibi placuit ordinare, quòd bonum sit virtuosum super malum, ut illi, qui se inclinabunt ad faciendum bonum, eant in paradisum, qui est locus bonus & nobilis; & illi, qui facient malum, eant in infernum, qui est locus abjectus & vilis & plenus omnibus

nibus malis.

24. Unde adoreris & magnificeris, *Domine DEVS*; quia, sicut ordinasti hominem in hoc mundo ponendo eum in libertate faciendi bonum vel malum, ita ipsum ordinasti in alio mundo non ponendo eum in statu faciendi malum vel bonum secundum suam libertatem; quoniam homo non esset ibi ordinatus, si de bono se posset inclinare ad malum, & de malo ad bonum.

25. i. *Rex gloriose, virtuose super omnes virtutes!* Tibi sint laudes & gratiæ, quia ordinasti, quòd homo possit percipere id, quod est bonum, & id, quod est malum; nam, quoniam bonum est virtuosum & nobile, & malum est vitiosum & miserum & defectuosum, potest cognosci, quid sit bonum, & quid sit malum.

26. Sed; quia nos, *Domine*, sumus res miseræ & finè omni ordinatione & sapientia, videntur nobis illa, quæ sunt bona & virtuosa, esse mala & vitiosa, & illa, quæ sunt mala & vitiosa, esse bona & virtuosa.

tuosa.

27. Unde ista ignorantia, *Domine*, est in homine, quia exit de ordinatione, in qua eum posuisti; quoniam nullus homo inordinatus per peccatum cognoscit, quid sit bonum, nec quid sit malum; imò miscet omnia in sua cogitatione, & videtur ei, quòd in omnibus sit malum & bonum.

28. K. *Singularis Domine, plene pietate!* Tibi fiat reverentia & honor; quia voluisti, quòd homines, qui eunt per viam ordinationis, cognoscant, in quibus rebus sit bonum & malum, & sciant, quid sit majus bonum & minus, & quid sit majus malum & minus.

29. Unde, qui sunt ordinati & sapientes, *Domine*, eligunt prius majora bona, quàm minora, & minora mala, quàm majora; & qui sunt inordinati & insipientes, eligunt prius minora bona, quàm majora, & majora mala, quàm minora.

30. Unde, cùm in hoc mundo sint, *Domine*, minora bona & minora mala, &
in

in altero majora bona & majora mala, qui sunt inordinati, eligunt bona hujus mundi & mala alterius; & qui sunt ordinati, eligunt bona alterius mundi & mala hujus mundi: unde laus & gloria sit Tibi, *Domine*, per omnia tempora, qui tam bene ordinasti hominem, ut sit servus sui Domini DEI.

CAPUT L.

QVOMODO DEVS ORDINAVERIT hominem inter duo merita, hoc est inter meritum Glorie & meritum pœnae.

1. **D**EVUS Pater & Domine universarum, quæ sunt! Laus & gloria sint Tibi per omnia tempora; quia ordinasti hominem ponendo eum inter *meritum glorie & meritum pœnae*; quoniam, si homo faciat bonum, meretur gloriam, & si faciat malum, meretur pœnam.

2. Unde benedictus sis, *Domine DEVS*; quia, nisi posuisses hominem inter
me-

meritum gloriæ & meritum pœnæ, gloria paradisi & pœna inferni essent frustra.

3. Unde, quia nulla res, quam creasti & fecisti, *Domine*, potest esse frustra, fuit conveniens, quòd meritum boni & mali essent in *esse*; & fuit conveniens, quòd meritum esset hominibus occasio & subiectum, per quod cognosceretur tua magna Bonitas & tua magna Nobilitas.

4. b. *O Domine DEVS*, qui vivificas & mortificas, quos vis! Tu scis, quòd, quia homo venit de privatione in *esse*, ideo non mereatur nec sit dignus esse in *esse* per se ipsum; sed tua magna Bonitas & tua magna Virtus meretur dare *esse* rei, quæ non est in *esse*.

5. Nam, quia Tu, *Domine*, es perfectus in omni Bonitate & in omnibus Virtutibus, ideo mereris cognosci & amari & honorari & Tibi ferviri & obediri; quoniam ita debetur tuæ benedictæ Essentia.

6. Unde, cum homo sit in *esse*, *Domine*, quia Tu mereris cognosci & amari, &
non,

non, quia per se ipsum est dignus & meretur *esse*, ideo valde bene ordinatum est, quòd sit in tali statu & dispositione, ut possit habere meritum gloriæ vel meritum pœnæ.

7. c. *Humilis Rex, verum Lumen luminum & Splendor omnium splendorum!* Tu, *Domine*, ordinasti, quòd homo sit subjectus merito gloriæ vel merito pœnæ, quare finè uno istorum meritorum nullus homo potest esse.

8. Unde laudatus sis, *Domine DEVS*; nam, quia omne bonum, quod est in homine, venit ex parte Tui, meretur homo habere beatitudinem & gloriam ratione boni, quòd posuisti in eo.

9. Cùm malum sit in homine peccatore ex parte suæ fragilitatis & suæ malæ naturæ, & nullum peccatum sit in eo à Te, ideo, *Domine*, meretur pœnam & laborem; nam, quoniam in eo deficiunt bona & virtutes, quas ei dedisti, non est dignus possidere ullam gloriam nec beatitudinem.

10. d. *Vere Domine, honorate!* Quoniam
homo

homo est in *esse* ratione tuæ Bonitatis, & ad cognoscendum ipsam, & non est in *esse* ratione sui ipsius, si ita sit, quòd veniat ad beatam Gloriam, venit ad eam ratione tuæ Bonitatis; & si veniat ad perdurabilem poenam, venit ad eam ratione suæ fragilis naturæ & suæ miserix.

11. Unde secundum hoc sequitur, *Domine*, quòd in hominem cadat meritum gloriæ ratione tuæ Bonitatis, quando homo facit bona opera, & quando facit mala opera, cadat in eum meritum poenæ ratione suæ miserix & naturæ, quam habet ex parte privationis, ex qua deductus est.

12. Unde benedictus sis, *Domine DEVS*, qui tam bene hoc ordinasti; quoniam, sicut Tu es omne bonum, ita convenit, quòd meritum boni, quod cadit in hominem per bona opera, à Te derivetur & veniat; & sicut homo, quantum ad se ipsum, habet omnem defectum boni, ita convenit, quòd omne meritum poenæ, quod cadit in eum per mala opera, veniat ab ipso.

ipso.

13. e. *Supreme Domine, Salvator noster?*

Quia homo venit in *esse*, ut in eo cognoscatur tua Bonitas, & non ut in eo cognoscatur bonitas & virtus per se & de se, ideo ordinasti, quòd suum meritum sive sit boni sive mali, sit meritum perdurabilis Gloriæ vel perdurabilis poenæ.

14. Nam, quò major est, *Domine*, tua Bonitas & tua Virtus, eò plus meretur amari & cognosci; & ideo, quia meretur in magna magnitudine amari & cognosci, convenit, quòd in homine sit magnum meritum gloriæ vel poenæ, ut, quò major est gloria & poena hominis, eò plus cognoscatur Magnitudo tuæ Bonitatis.

15. Unde, cum tua Bonitas, *Domine*, sit infinita in Nobilitate & in Virtute, & conveniat, quòd ipsa cognoscatur per Magnitudinem Gloriæ in Paradiso, & poenæ in inferno, quis est, qui possit æstimare & cogitare magnam Gloriam, quam iusti habent in Paradiso, & magnam poenam, quam peccatores habent in inferno?

16. f.

16. f. *Potens Domine, complete Misericordiâ & Gratiâ!* Benedictus sis Tu; quia, sicut est tuæ Dignitatis & Nobilitatis, quòd cognoscaris virtuosus infinitè, ita voluisti ordinare, quòd meritum hominis sive gloriæ sive pœnæ, habeat tantam magnitudinem, quòd per ipsum homo judicetur vel ad infinitam Gloriam vel ad infinitam pœnam.

17. Unde amatus & honoratus sis, *Domine DEVS*, qui adeò bene hoc ordinasti; quia in hoc mundo est in homine meritum boni vel mali, & in alio possidet perdurabilem Gloriam, si habeat meritum boni, & possidet perdurabilem pœnam, si habeat meritum mali.

18. Etiam, *Domine*, fecisti valde pulchram ordinationem in homine; quia, si faciat in hoc mundo bona opera & etiam mala, bona minuunt culpas, quæ sunt in eo ratione malorum operum, & mala minuunt merita, quæ habet ratione bonorum; sed, quia homo in alio sæculo debet permanere perdurabiliter, voluisti ordinare, quòd

quòd in eo meritum Gloriæ non cesset per meritum pœnæ, nec meritum pœnæ per meritum Gloriæ.

19. g. *Misericors Domine, Rex Regum!*
Benedictus sis, & benedicta sit ordinatio, quam posuisti in nobis; quia adeò liberalis Dominus es in omnibus rebus, quòd volueris majorem esse Gloriam Paradisi, quàm meritum hominum, qui in eum intrant; & hoc est, quia convenit majorem esse gloriam, quam das hominibus, quàm sit meritum, quod ipsi possunt lucrari per bona opera.

20. Nam, quia Tu, *Domine*, es totus perfectus in Bonitate & in Virtutibus, & homo est in se ipso res defectuosa & misera & fragilis in omnibus rebus, ideo nullus homo, quantumcunque bonus, est potens in hoc mundo habere tantum meritum Gloriæ, quantam Gloriam Tu potes dare; & propterea convenit, quòd Gloria, quam das, sit major, quàm meritum, quod homo lucratur in hoc mundo.

21. *Amorose Domine!* Benedictus sis
Tu,

Tu, qui ordinasti, quòd meritum peccatorum, qui eunt in infernum, sit adeò magnum in duratione, sicut est poena eorum; nam, quia ipsi obliviscuntur amare Te, & servire Tibi in hoc mundo propter delectationes hujus mundi, fit æquale suum meritum cum sua poena; quoniam, sicut Tu es infinitus in Bonitate & in Virtutibus, sic bona hujus mundi sunt finita & terminata; &, quia ipsi propter delectationes & bona terminata deamant Te, qui es infinitus, ideo cadit in eos meritum infinitæ poenæ; quoniam, quantum Tu es remotus à defectu, tantum peccatores sunt digni esse remoti à tua Gloria.

22. h. *Singularis Domine, patiens, virtuose!* Virtus & Gloria cognoscantur Tibi, quia ordinasti, quòd meritum Gloriæ vel poenæ cadat in hominem secundum quod est sua voluntas & sua potestas; & istam talem ordinationem voluisti ponere in potentia rationali; quia meritum, sive boni sive mali, maximè stat in ipsa; & propterea potentia rationalis est nobilior aliis potentiis

tiis animæ.

23. Unde, quia Tu, *Domine*, ordinasti, quòd meritum hominis sit secundùm quod est sua voluntas & potestas; ideo sequitur, quòd majorem gratiam habeas homini pauperi, cùm dat unum denarium pro amore Tui, quàm Regi, si pro amore Tui det mille denarios.

24. Unde honoreris & colaris & benedicaris, *Domine DEVS*, qui adeò bene hoc ordinasti; quia, secundùm quod voluntas & potestas hominis est in magna quantitate vel in parva, magnum vel parvum est meritum, quod lucratur per bona opera vel per mala.

25. i. *O Domine une, siné pari & socio!* Dulciter & pulchrè debet omnis homo lætari in Te, & in omni, quod est ordinatum à Te; quia es adeò bonus Ordinator, quòd volueris ordinare meritum hominis crescere secundùm incrementum operum, quæ facit in hoc mundo.

26. Nam, quando beatus homo, *Domine*, per tuam gratiam incipit Regulam
Re-

Religionis, & ordinat, quòd sint homines in ea amatores & laudatores tuæ Bonitatis, & obediētes omnibus tuis mandatis, omne bonum, quod descendit de illa religione, est occasio multiplicandi Gloriam beati Religiosi, qui fuerit principium ipsius per tuam gratiam; quoniam, quantum bonum derivabitur de Religione, tantam Gloriam merebitur, qui eam inceperit.

27. Unde benedictus sis, *Domine DEVS*; quia similiter erit de hominibus, qui fuerint principium malorum operum; nam maledictus peccator, qui incipiet hæresim, vel malam consuetudinem, vel incipiet dissensionem, tantam culpam & pœnam habebit, quantum erit malum, quod derivabitur à re, cujus fuerit principium & factor.

28. K. Cúm Tu, *Domine DEVS*, ordinaveris, quòd secundúm bonum vel malum, quod homo incipiet, crescat suum meritum, vel in bono vel in malo, quid expectant, & quare non incipiunt bona opera

opera homines potentes incipere bona, & evitare mala, quæ sunt incepta, & quæ possunt incipi?

29. Quomodo potest esse, *Domine*, quòd homines hujus mundi prius sint inceptores & constructores bonorum temporalium, quæ tam leviter transeunt, & de quibus exit tam parvus fructus, & omittant incipere bona, de quibus homo semper lucrabitur perdurabilem Gloriam ratione magnarum utilitatum, quæ inde derivantur? & quomodo potest esse, *Domine*, quòd homines prius non evitent mala, de quibus sequitur meritum perdurabilis poenæ, quàm mala hujus mundi, de quibus non sequitur magnum damnum?

30. In veritate, *Domine*, omnes isti errores sunt in hominibus, quia prius memorant bona & mala hujus mundi, quàm bona & mala alterius, quæ tantum durabunt, quantum tua

Essentia durabit in *Esse*
divino.

CAPUT

CAPUT LI.

QVOMODO DEVS ORDINAVE-
rit Hominem, quia illi dedit liberam
Voluntatem.

1. **O** *DEVS Pater, Domine Gloria!*

a. **O** Amatus & honoratus sis Tu, qui ordinasti, quòd homo habeat liberam voluntatem faciendi bonum vel malum; quia omnis homo inde recipit ordinationem ad finem, quare est factus: unde, per hoc, quòd homo sit ordinatus, sentit quilibet in se ipso se habere liberam voluntatem faciendi bonum vel malum.

2. Unde benedictus sis, *Domine DEVS*; quia ordinasti, quòd libera voluntas sit in homine ratione *duorum motuum*, in quibus eum posuisti, quoniam per *primum motum* habet liberam voluntatem faciendi bonum, & per *secundum* habet liberam voluntatem faciendi malum.

3. Unde valde pulchra est ista ordinatio, *Domine*, quam ordinasti in homine in

P

hoc,

hoc, quòd à re habente *esse* descendat primus motus, & à privatione descendat secundus motus; quia per hoc ordinatur, quòd libera voluntas, quam homo sentit in faciendo bonum, descendat à re habente *esse* per tuam gratiam; & libera voluntas, quam sentit in faciendo malum, descendat & derivetur à *privatione* carente gratiâ & *esse*: unde secundùm hoc significatur beatitudinem esse in homine ratione *esse*, & maledictionem esse in eo ratione *privatio- nis*.

4. b. *Excellens Domine, Principiator & Factor universorum* ! Benedictus sis Tu, qui ordinasti, quòd libera voluntas sit temperatè posita in homine ratione *duorum contrariorum*, de quibus ipsa generatur in eo, quæ sunt *esse & privatio*.

5. Unde, sicut voluisti, *Domine*, quòd homo se moveat ad faciendum *bonum* ratione naturæ ipsius *esse*, quam ei dedisti, ita contingit accidentaliter, quòd se moveat ad faciendum *malum* ratione *privationis*, de qua venit, & ad quam reverteretur, nisi
eum

eum sustineres in *esse*.

6. Unde, in quantum voluntas hominis inclinatur ad volendum bonum ratione *esse*, quod ei dedisti, in tantum inclinatur ad volendum malum ratione *privationis*, de qua venit; & propterea, *Domine*, est in homine libera voluntas, quia ista duo contraria habent in eo æqualem actionem; & quòd hoc ita sit, quilibet potest experiri in se ipso, si velit quærere proprietatem, quæ est in se ex parte sui *esse*, & quæ est ex parte *privationis*.

7. c. Tibi, *Domine DEVS*, detur omnis Virtus & Gloria; quia ordinasti quòd libera voluntas humana sit in potentia rationali, & quòd in ea generetur & ab ea derivetur, & in ea fructificet & floreat in illis rebus, quibus convenit hominem esse dignum pervenire ad tuam Gloriam: unde, cum potentia rationalis, *Domine*, sit radix & subjectum liberæ voluntatis, ideo est nobilior potentia animæ, quàm ulla aliarum potentiarum.

8. Quòd libera voluntas, *Domine*, sit

in

in potentia rationali, & in nulla aliarum potentiarum, quilibet homo potest percipere, dummodò sciat cognoscere proprietates & diversitates potentiarum; quoniam libera voluntas non est in potentia vegetativa, ut quilibet homo potest experiri in se ipso in hoc, quòd eam non sentiat in ipsa; nec est in potentia sensitiva, quia non sentimus in ea libertatem faciendi de duobus contrariis quodcunque velimus, cùm ipsa nobis contrarietur ad volendum res, quæ non sunt suæ naturæ; nec est in potentia imaginativa, quia in uno tempore non potest imaginari insimul duo contraria; nec est in potentia motiva, quia ipsa non habet aliud officium, nisi obedire faciendo id, quod rationalis iudicat & eligit.

9. Sed id, per quod intelligo, *Domine*, liberam voluntatem esse in potentia rationali, est, quia, postquam potentia sensitiva & imaginativa fecerunt oblationem alicujus rei rationali potentiæ; ista tunc figurat & declarat, quod est bonum vel malum, & quando bonum vel malum est perceptum

ceptum & figuratum, tunc sentitur in homine libera voluntas ad faciendum bonum, vel ad faciendum malum; & quando libera voluntas sentitur, potentia rationalis eligit & distinguit quodnam opus velit, si-ve bonum si-ve malum, & tunc mandat potentia^e motivæ, ut det perfectionem rei, quam eligit.

10. d. *Vere Domine!* Misericordia & Pietas & Suavitas cognoscantur Tibi, qui voluisti tam benè ordinare hominem; quia, sicut ordinatè posuisti meritum, quod cadit in hominem, in potentia rationali; sic convenit, quòd liberam voluntatem poneret in ipsa potentia rationali.

11. Nam, sicut est de natura meriti, quòd non sit nisi in potentia rationali, sic est de natura liberæ voluntatis humanæ, quòd non sit, nisi in ipsa: unde hoc est valde ordinatè naturatum; quia, cùm meritum gloriæ vel meritum poenæ cadat in hominem ratione liberæ voluntatis, convenit, quòd meritum & libera voluntas habeant unum & idem subjectum, in quo sint,

sint, & de quo deriventur.

12. Nam tam magna est conjunctio & convenientia, quæ est inter liberam voluntatem & meritum gloriæ vel poenæ, quòd unum non possit esse sinè alio in hoc mundo; &, ubi est unum, fit etiam aliud; & hoc est, quia libera voluntas est in homine, ut in eo sit meritum, & meritum est in homine, quia est in eo libera voluntas.

13. e. *Domine Administrator & Custos & Visitator noster* ! Benedictus sis Tu, qui ordinasti, quòd prius deveniat in *esse* intellectuale meritum hominis, quàm sensualis operatio, per quam homo lucratur meritum.

14. Et hoc contingit, *Domine*, quia voluisti, quòd potentia rationalis prius sentiat in se liberam voluntatem, & postea, quando eligit facere bonum vel malum, statim habeat meritum; & quando in homine est meritum, postea potentia rationalis mandat motivæ, ut adducat ad perfectionem id, quod ipsa elegit : igitur, secundum

cundum hoc demonstratur, quod prius sit in homine meritum, quam perfectio operationis, ex qua lucratur ipsum.

15. Unde benedictus sit talis Dominus & talis Ordinator, qualis es Tu, *Domine*; quia valde bene ordinasti in homine actiones & officinas potentiarum animæ, quarum quædam sunt post alias per ordinem, sicut decet.

16. f. *O Domine sapiens, plene omni Potestate & omni Sapientiâ!* Benedictus sis Tu, qui adeo bene ordinasti hominem; quia ratione magnæ ordinationis, in qua eum posuisti, sequitur, quod prædestinatio non habeat tam magnam potestatem in ipso, sicut aliqui falsi discredentes ei attribuunt.

17. Nam, quia in anima humana, *Domine*, prius est electio liberæ voluntatis & meritum hominis, quam actio potentiæ motivæ, propterea prædestinatio non habet illam vim, quam multi putant; quoniam homo prius est obligatus ad faciendum bonum & ad evitandum malum ratione liberæ

beræ voluntatis, quæ est in eo, quàm sit operatio potentiæ motivæ: unde, sicut potentia rationalis est id, in quo est libera voluntas, & de qua sumitur meritum hominis; ita potentia motiva est id, à quo pervenit & formatur hoc, quod est homini prædestinatum.

18. Unde, cùm homo sit prius obligatus ad faciendum bonum & evitandum malum, quàm sit operatio potentiæ motivæ; ideo sequitur, *Domine*, quòd nemo excusetur à faciendo bonum nec ab evitando malum, quamvis quilibet debeat facere bonum vel malum, secundùm quod est ei prædestinatum, & sicut in tua Sapientia est visum.

19. g. *Potens Domine super omnia potens!* Benedictus sis Tu, & laudata sit ista ordinatio, quam adeò nobiliter & mirabiliter ordinasti; nam, quia posuisti in homine liberam voluntatem, sequitur, quòd omnis homo sit dignus gloriâ, vel poenâ, & sine libera voluntate nemo haberet hanc dignitatem.

20. Ratio, quare est in homine meritum boni vel mali prius, quam sit in eo operatio, per quam pervenit ad id, quod est ei prædestinatum, est, *Domine*, quia meritum descendit à libera voluntate, & prædestinatio descendit & venit in *esse* in operatione, quam facit potentia motiva in re, per quam pervenit ad id, quod est prædestinatum, sicut est volitum per tuam *Voluntatem*.

21. Unde benedictus sis, *Domine DEVS*; quia, si homines falsi omittentes facere bona opera & evitare mala ratione prædestinationis, cui attribuunt id, quod non est in ea, cognoscerent istam ordinationem, quam posuisti in homine in hoc, quòd anteposueris meritum operationi potentiæ motivæ, non darent prædestinationi vim, quam ei dant & attribuunt; imò parùm eam appreciarent, & parùm in ea confiderent.

22. h. Tibi, *Domine DEVS*, qui cogis & constringis omne, quod vis, detur omnis Gloria & omnis Laus; quia homines

er-

errantes in prædestinatione decipiuntur per hoc, quòd attribuant liberæ voluntati id, quod non est in ea, & ignorent & non cognoscant virtutem & nobilitatem, quam posuisti in ipsa: unde, ratione istius erroris non putant, quòd ullus homo sit obligatus ad faciendum bonum & ad evitandum malum; nec quòd ullus homo habeat meritum de aliqua re, quam faciat.

23. *Primum*, quod errantes in prædestinatione attribuunt liberæ voluntati, & non est in ea secundum veritatem, est, *Dominine*, quòd si ipsa esset in homine, posset homo facere contrarium illius, quod est prævisum in tua Sapientia; &, quia affirmant hoc esse impossibile, ideo attribuunt liberæ voluntati non *esse*, & dicunt ipsam non esse in homine: *Secundum*, quod est in libera voluntate, & illi dicunt non esse in ea, est præcedentia, quam potentia rationalis habet in figurando quid sit bonum & quid sit malum, antequam potentia motiva perveniat ad operandum id, quod homini est prædestinatum.

24. Unde

24. Unde benedictus sis, *Domine DEVS*, quia unum est libera voluntas, & aliud, quod ipsi putant eam esse; quoniam libera voluntas secundum veritatem non est id, quod potest facere de duobus contrariis quodcunque, imò est id, quod sentit libertatem faciendi de duobus contrariis quodcunque velit; & hoc sentitur totaliter liberè in potentia rationali à principio, quo ipsa incipit figurare, quid sit bonum & quid sit malum usque ad finem, quo mandat potentiaè motivæ, ut faciat id, quod elegit facere.

25. i. *Benigne Rex Gloria, abundans Virtutibus & Perfectione omnis boni!* Tu, *Domine*, posuisti hominem in valde magna ordinatione; quia ratione libertatis, quam sentit in sua voluntate in hoc, quòd sentiat libertatem eligendi facere bonum vel facere malum, est in eo meritum gloriaè vel meritum pœnæ; & ratione operis, quod venit postea, hoc est rei, quæ fit à potentia motiva, evenit id, quod de necessitate eventurum est; quoniam est prævisum in

tua

236 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
tua Sapiencia esse eventurum.

26. Unde, cum homo, *Domine*, sit positus in tali ordinatione & dispositione, sequitur, quod omnis homo sit creatus & factus in dispositione amandi & honorandi Te; & demonstratur, quod omnes sint obligati ad faciendum bonum & ad evitandum malum, quamvis predestinatum sit omne id, quod facient.

27. Gloria & Virtus & Honor & Gratia & gratiarum Actiones cognoscantur Tibi, *Domine DEVS*; quia, sicut illuminasti mundum per claritatem solis & lunæ & stellarum, sic illuminasti & ordinasti hominem per hoc, quod ei dederis liberam voluntatem, cum per eam sit dispositus ad lucrandum meritum gloriæ vel poenæ.

28. *K. Essentialis Domine, excellens, potens super omnes potestates!* Tibi sint gratia & laudes, qui voluisti, quod natura non constringat, nec cogat animal rationale, sicut cogit & constringit alia animalia, quæ coactè debent ire secundum cursum naturæ;

ræ; quia carent liberâ voluntate.

29. Nam in hoc, quòd Tu, *Domine*, dederis liberam voluntatem homini, evenit, quòd homo liberè possit ire secundùm sensum & proprietatem, quam natura ei dat, vel per contrarium, hoc est contra cursum naturalem; quia, si natura ei dat, quòd comedat per famem, & bibat per sitim, si vult, comedit vel bibit vel jejunit; sed de aliis animalibus non est ita, quia, cùm non habeant liberam voluntatem, faciunt secundùm sensum, quem natura eis dat.

30. Unde ratione liberæ voluntatis, quæ est in homine, homo est naturatus naturâ, quâ carent alia animalia; quoniam in irrationalibus evenit secundùm cursum naturæ, quòd id, quod generant, sive sit masculus sive foemina, sit simile patri vel matri, ita, quòd, si pater & mater sint boni, filius erit bonus, & , si sint mali, filius erit malus; sed non est ita in hominibus, quia de bono patre & bona matre, multoties egreditur malus filius, & de malo patre & mala

mala matre, egreditur bonus filius : unde benedictus sis, *Domine DEVS*, quia totum hoc evenit per liberam voluntatem, quam dedisti homini, ut lucretur meritum, per quod sit dignus vel gloriâ vel pœnâ, per quas cognoscatur magna Nobilitas tuæ Essentiæ divinæ.

CAPUT LII.

*QUOMODO DEVS ORDINA-
verit, quòd omnia Bona veniant ab eo.*

1. **D***EVS gloriose ! Tibi sit Gloria & Honor omni tempore, quia in tali dispositione ordinasti mundum, quòd omnia bona, quæ possint esse, veniant à Te & per Te.*

2. Nam *esse*, quod Tu, *Domine*, dedisti homini, est bonum respectu privationis, quæ non habet ullam bonitatem ; & istud *esse* venit à Te in hoc, quòd dede-
ris *esse* elementis, ex quibus homo est com-
positus ; & creaveris virum & mulierem in
para-

paradiso terrestri, de quibus descenderent homines, in quos pervenirent bona, quæ descendunt & veniunt à Te.

3. Metalla & vegetabilia & animalia irrationalia, quæ sunt bona temporalia, Tu, *Domine*, creasti & dedisti ea hominibus, & à Te solo venerunt.

4. b. *Potens Domine, supreme in Potestate, & in omnibus Nobilitatibus!* Benedictus sis Tu; quia scis, quòd majora & meliora bona, quæ possint esse in homine, sint, quòd ameris & lauderis & honoreris & Tibi serviatur ab ipso; & nullum aliud bonum potest in eo esse tam magnum nec tam bonum, sicut istud.

5. Unde, cùm Te amare & honorare & Tibi obedire sit, *Domine*, majus bonum homini, convenit, quòd istud bonum adeò magnum veniat à Te & non ab alio, quia à Te debet moveri, & ad Te debet reverti, & in Te debet stare, & à nullo alio potest venire, nisi à Te.

6. Ista honorificentia & istud bonum adeò magnum, quod Tu, *Domine*, fecisti ho-

hominibus in hoc, quòd eos feceris tam nobiles creaturas, & eos tantùm amaveris, quòd volueris esse homo, & volueris mori, & laborare pro amore hominum, convenit, quòd venerit à Te, quia à nullo alio posset venire, nisi à Te.

7. c. *Amorose Domine, , plene Gratiâ & Pietate!* Tibi fiat reverentia & honor; quia omnia bona, quibus quidam homines adjuvant alios in curis & necessitatibus eorum, veniunt à Te, & dantur à Te.

8. Nam voluntas, quam habent homines divites faciendi eleemosynas, *Domine*, venit à Te; & pietas, quam quidam habent de aliis, venit à Te; & amor, quem quidam habent ad alios, venit à Te; & doctrina, quam sapientes dant ignorantibus, venit à Te; & Tu præparas bona divitibus ad faciendum eleemosynas, & præparas eis pauperes, ut ipsis possint facere eleemosynam.

9. Nullo modo, *Domine*, potest ullus homo invenire nec intelligere nec scire, quòd ullum bonum possit venire, nisi à Te;
quia

quia nisi dares hominibus modum & proprietatem faciendi bonum, non facerent illud; & nisi dares eis res, de quibus facerent bonum, non haberent de quo illud facerent; & nisi ordinares, quòd essent res, quæ bona reciperent, non essent res, quibus homo posset facere ullum bonum.

10. d. *Misericors Domine, patiens, grate, abundans in omnibus bonis!* Bonum, quod est in homine justo, non est à se ipso, imò omne bonum, quod habet in se, venit ei à Te; nam, si ipse amat Te, & cognoscit tuam Nobilitatem, & percipit suam fragilitatem & miseriam, non venit ei à se ipso, nec illud bonum est in ipso & per ipsum; quia nisi Te communicares ei, non esset in eo ullum bonum, imò esset in eo privatio omnis boni.

11. Nam nisi Tu, *Domine*, postquam creasti hominem, poneres in eo tuam gratiam, & impedires eum uti suâ naturâ, quæ venit ei ex parte privationis, non faceret ullum bonum, imò deleretur & fi-

Q

niretur

niretur suum esse; & si sustineres hominem in esse, adhuc non faceret ullum bonum, nisi ei dares bona gratiæ.

12. Illi, qui sustinentur in esse, & eunt per cursum suæmet naturæ, sunt, *Domine*, qui putant plus valere, quam valeant in hoc, quod putent se esse bonos per se ipsos, & sunt mali à se ipsis; & illi, qui beneficiantur tuis donis, sunt, qui cognoscunt bona, quæ habent, esse à Te, & mala, quæ habent, esse à se ipsis.

13. e. *Singularis Domine, vere siné ullo defectu!* Tibi soli sint laudes & gratiæ pro bonis & placitis, & pro delectationibus & recreationibus, quas das hominibus in hoc mundo.

14. Nam Tu, *Domine*, das hominibus proprietatem recipiendi bona à creaturis, quas eis subdidisti, ut ab eis bona recipiant; quia, sicut appropriasti homini naturam, per quam recipiat bona à creaturis, ita dedisti proprietates creaturis, per quas sint bona temporalia hominum.

15. *Virtuose Domine!* In hoc demonstratur,

tratur, quòd non sit alius DEUS, nisi Tu; quoniam sinè Te homines non possent habere ullam utilitatem de bonis temporalibus; quia nec ipsi possent illam sumere de eis, nec bona temporalia possent sibi appropriare hoc, quòd sint utilia hominibus per se ipsa.

16. f. *Potens Domine, adjutor in omnibus nostris necessitatibus!* Benedictus sis Tu, quia suprema bona, quæ das in gloria, non veniunt ab ulla alia re, nisi à Te; quoniam, cum illa bona consistant in videndo & amando & cognoscendo & laudando Te, & in vivendo in Te, convenit, quòd veniant à Te & per Te.

17. Ratio, quare omnia bona, quæ dantur in gloria, dantur, *Domine*, à Te, est, quia ipsa sunt durabilia infinitè, ita, quòd nunquam habebunt finem: unde, cum nihil sit infinitum, nisi Tu, per hoc probatur, quòd nullum bonum possit esse in paradiso, nisi à Te, & in Te, & per Te.

18. Et maximè, *Domine*, quia bona gloriæ non sunt aliud, nisi repræsentatio
tuæ

tuae Essentiae facta Angelis & hominibus, & cognitio tuae Bonitatis communicatae justis; igitur necessario convenit, quod omnia bona, quae inde proveniunt, veniant à Te.

19. g. Et istud bonum, *Domine DEVS*, quod est in homine per hoc, quod sit in *esse* humano, & non in *esse* viliori, neque in privatione, venit à Te, quia Tu es, qui dedisti ei *esse* humanum, & virtuificasti suum *esse* super omne *esse* aliorum animalium.

20. Et, nisi Tu, *Domine*, sustineres hominem in *esse* humano, reduceretur in *non esse*, & nihil esset; & quoniam nihil esset, nullum bonum esset in eo.

21. Idem est, *Domine*, de bono, quod est in homine ratione bonorum operum, quae facit; quia, si illud bonum non veniret à Te, non posset esse in homine; & si non sustineretur à Te, deleteretur, & nihil esset; igitur benedictus sis, quoniam, sicut es omne bonum, ita convenit, quod omnia bona, quae sunt in *esse*, veniant à Te.

Te.

22. h. *Perpetue Domine sine principio & fine!* Tibi fiat reverentia & honor; quia es tam perfectus in Bonitate, quòd nullum bonum possit esse in *esse*, nisi à Te & per tuam ordinationem.

23. Nam omne bonum, quod sequitur hominibus & aliis creaturis ratione ordinationis & bonæ dispositionis firmamenti & quatuor elementorum, exit à Te, *Domine*, & revertitur ad Te; quia ordinasti, quòd omnia, quæ sunt in firmamento & in elementis, sint ordinata ad serviendum homini in hoc mundo, ut homo serviat Tibi; & ita omne bonum venit à Te & revertitur ad Te.

24. *Amorose Domine!* Quia virtui-
casti hominem in tam magna nobilitate,
evenit, quòd hominibus dederis possessio-
nem multorum nobilium officiorum; nam
aratoribus dedisti artem arandi, ut homi-
nes inde adjuventur; & Equitibus dedisti
officium custodiendi illos, qui arant, &
colunt terras; & Regibus dedisti iudicium,
ut

246 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*

ut teneant justitiam, & sic de aliis officiis, quæ omnia sunt bona hominibus, & omnia veniunt à Te.

25. i. *O Domine magne, mirabilis, in quo omnia includuntur!* Amorosè & liberè roboreremur in amando & honorando Te; quia magna exaltatio & Nobilitas & Honorificentia, quam humana natura recipit ex hoc, quòd volueris incarnari in ea, venit à Te & non ab ullo alio.

26. Nam Tu, qui es noster Creator & noster DEUS & noster Factor & Benefactor, honorasti & exaltasti hominem in hoc, quòd volueris esse homo: unde ista honorificentia tam magna, & istud bonum tam nobile, non posset pervenire in hominem, nisi per Te & à Te.

27. Gloriosè & devotè tenetur, *Domine*, omnis Christianus Te amare & honorare & Tibi servire; quia istud tam magnum bonum, quod venit Christianis per hoc, quòd volueris esse Homo, venit eis à Te; quoniam omnis homo erat damnatus & perditus per originale peccatum, à quo
nullus

nullus alius poterat purificare nec restaurare humanam naturam, nisi Tu tantum, qui ab illo restaurasti omnes, qui credunt in tuam Incarnationem & Passionem.

28. K. *Iuste Rex gloria!* Integre & perfecte ordinasti, quod omnia bona venerint à Te; quoniam istud tam magnum bonum, quod est datum fidelibus Catholicis per Prophetias & per legem & per directionem, per quam perveniunt ad celestem gloriam, totum est datum à Te.

29. Nam Tu, *Domine*, dedisti legem Moyfi, & inspirasti Prophetas ad prophetandum, & dedisti Evangelia ad evangelizandum, & Te incarnasti ad recreandum nos, & ad ordinandum, quomodo iremus ad paradisum.

30. Unde, cum omnia bona, quæ sunt in hoc mundo, & omnia, quæ sunt in altero, venerint, *Domine*, à Te, est conveniens & rationabile, quod omnes homines se dent ad adorandum & invocandum Te, & ad agendum laudes & gratias Tibi, quia ordinasti mundum tali modo

&

& in tali dispositione, quòd omnia bona veniant à Te, qui es noster Dominus DEUS.

CAPUT. LIII.

QVOMODO DEVS ORDINAVERIT, quòd nullum malum culpæ venerit ab eo.

1. **O** *DEVS* gloriose, virtuose, amorose!
 a. **O** Benedictus sis Tu, qui ordinasti, quòd malum sit divisum in duas partes, scilicet in malum culpæ, quod est peccatum, & malum pænæ; & malum culpæ voluisti, quòd non veniat nec derivetur à Te, sed permisisti, quòd veniat à nobis: & voluisti, *Domine*, quòd malum pænæ veniat à Te, ut cum eo nos punias pro nostris defectibus & culpis.

2. Nam malum, *Domine*, quod est in homine ratione famis & sitis & caloris & frigoris & infirmitatis, venit à tua Sententia, quæ nos condemnat ad sustinendum pœnam propter culpam, quæ est in nobis.

nobis.

3. Et malum culpæ & peccati, *Domine*, videlicet superbia & ira & invidia & homicidium & proditio & ingratitude & falsitas & luxuria & cupiditas est in homine ratione sui ipsius, & ratione suæ fragilis & miseræ naturæ, de qua derivatur istud malum.

4. b. *Gloriose Domine, qui es principium omnium principiorum!* Omne malum culpæ, quod est in dæmonibus, venit & est derivatum ab eis, & non à Te; „ quoniam ego „quæsi à dæmone, unde venerit peccatum, quod fecit tunc, quando Te discognovit? & ipse confessus est mihi veritatem, & dixit, quòd venerit à semetipso in hoc, quòd fuerit ingratus gratiæ, quam ei fecisti, quando eum creasti in esse angelico.

5. Quæ ingratitude fuit, *Domine*, tunc, quando voluit se ipsum facere æqualem & similem Tibi, & non recordatus est, quòd eum creaveris ex nihilo, & eum feceris tam nobilem creaturam; per quod
peccatum

peccatum & ingratitude cecidit tunc in eum malum culpæ accidentaliter.

6. Nam voluntas, quam dæmon habuit, *Domine*, quando voluit esse similis Tibi, in ipsomet incepit, & ab ipsomet venit, & in ipsomet remansit, quia ipse voluit esse Dominus sicut Tu, & voluit esse liber & non subditus: unde, cum totum hoc voluerit voluntate contrariâ rationi, ideo peccatum incepit in eo & ab eo & per eum tantum, ita, quod in nihilo fueris culpabilis.

7. c. *Excellent Domine, plene gratiâ!* Ego quæsi à meo proprio *esse*, unde venerit & inceperit malum culpæ, quod fuit in me in mea nativitate? & respondit mihi, quod totum inceperit & venerit ab Adamo, quia peccatum Adami est generaliter super nos omnes.

8. Unde benedictus sis, *Domine*, qui ita ordinasti hominem; quia potentia sensitiva, quæ est in eo, est ei causa se inclinandi ad peccatum; cum per eam habeat inclinationem ad concupiscendum vanita-

tes

tes hujus mundi.

9. Et potentia rationalis, *Domine*, est homini causa se inclinandi ab obediendum tuis mandatis, & ad contemnendum vanitates mundanas, cum sua proprietates sit talis, quod faciat eum cogitare & memorare in amando & honorando Te, & in serviendo Tibi.

10. d. *Misericors Domine!* Cum ordinate posueris in homine ambas potentias, hoc est, sensitivam & rationalem, & eas posueris in potestate & in potentia æquales, & quælibet sit temperate in sua fortitudine & in sua natura, ita, quod neutra sit fortior aliâ, si homo velit; propterea sequitur, quod malum culpæ veniat ab homine, & non à Te.

11. Nam, quia ambæ potentiæ sunt contrariæ in natura, & habent in homine æqualem potestatem, ideo, *Domine*, quilibet homo sentit in se liberam voluntatem faciendi bonum, vel faciendi malum.

12. Quia, quantum potentia sensitiva dat homini sensum & voluntatem faciendi

ma-

malum, tantum dat ei potentia rationalis sensum, & voluntatem faciendi bonum; & quantum rationalis dat homini voluntatem & sensum faciendi bonum, tantum sensitiva ei dat voluntatem & sensum faciendi malum.

13. e. *Singularis Domine!* Quando creasti Adamum in paradiso, & posuisti eum in libertate faciendi bonum vel malum, potentia sensitiva vicit in eo rationalem, tunc, quando per cupiditatem comedit fructum vetitum, & Tibi fuit inobediens.

14. Unde tunc, *Domine*, cecidit in Adamum accidentaliter malum culpæ & peccati ratione sui ipsius; quia sicut potuit sequi naturam potentia sensitivæ, ita, si voluisset, potuisset sequi naturam potentia rationalis, quoniam hæc habebat tantam potestatem in eo, quantam sensitiva.

15. Et, quia Adamus noluit se inclinare ad faciendum bonum, & se inclinavit ad faciendum malum, ideo, *Domine*, cecidit in peccatum per se ipsum, ratione cu-

jus

ius peccati ordinasti, quòd caderet in eum poena ad puniendum ipsum, ut esses justus Judex: unde secundùm hoc probatur, quòd peccatum non inceperit in Te, quamvis creaveris potentiam sensitivam; sed inceperit in Adamo, quia voluit sequi naturam potentiaè sensitivæ, quæ natura venit ei à non esse vel privatione.

16. f. *Nobilis Domine, gloriose!* Ego petivi à mea anima, an malum culpæ, quod cecidit in Adamum, ceciderit in eum per tuam operationem, quia prohibuisti ei, ne comederet de fructu, & sciebas, quòd de eo comederet.

17. Et mea anima, *Domine*, respondit & dixit: quòd, quamvis scires, quòd Adamus comederet de fructu, & ei faceres mandatum, ne comederet; tamen malum culpæ, quod cecidit in Adamum, non venit à Te, nec fuisti culpabilis de suo peccato; imo mea anima dixit mihi, quòd totum illud peccatum & culpa venerit ab ipso Adamo, qui noluit obedire Tibi.

18. Id, per quod intelligitur, *Domine,*
quòd

quòd peccatum originale venerit ab homine, & non à Te, est, quia quando creasti Adamum, posuisti in eo temperatè potentias sensitivam & rationalem, & postquam posuisti eum in libertate faciendi bonum vel malum, devènit malum culpæ in *esse*, hoc est peccatum, quod non erat in *esse* antequam Adamus esset positus in libertate: igitur peccatum non incepit esse ante libertatem, sed fuit post ipsam; quoniam, postquam Adamus habuit libertatem, inclinavit se ad peccandum totaliter liberè; & sic peccatum incepit in actione potentiæ motivæ, quæ per mandatum potentiæ rationalis se movit ad comedendum pomum, quod prohibueras.

19. g. *Domine, cui est amor & timor & cultus & servitium!* Quæsitum fuit à mea anima: unde venerint & derivata sint septem peccata mortalia, quæ sunt in homine, & unde habuerint primum principium? Et mea anima respondit & dixit: ea esse in homine, quia homo se inclinat ad utendum naturâ potentiæ sensitivæ, &
non

non vult se inclinare ad utendum naturâ
potentiæ rationalis ; quoniam , sicut posuisti
in Adamo temperamentum ex potentia
sensitiva , & potentia rationali , ita ipsum
posuisti in quolibet homine : unde , sicut
in Adamo natum est primum peccatum ,
sic in quolibet homine nascitur peccatum
mortale , quoties se inclinât ad inobediendum
potentiæ rationali , & sequitur naturam
potentiæ sensitivæ.

20. Sicut est impossibile, *Domine*,
quòd in mari non inveniatur aqua, ita est
impossibile , quòd à Te possit venire pec-
catum ; quia sicut mare est plenum aquâ,
sic Tu es plenus & perfectus Bonitate ; &
quoniam es perfectus in Bonitate , proba-
tur , quòd peccatum non possit venire à
Te, quia convenit, quòd veniat à defec-
tu Bonitatis.

21. Veritas, *Domine*, interrogavit me-
am animam , ut ei diceret : unde veniat ,
quòd putet se esse bonam per se ipsam, &
in se habere nobilitatem & virtutem, quam
non habet ? & mea anima respondit veri-
tati

tati & dixit : illud putare , & illud peccatum venire ei à non *esse* , unde ipsa venit ; quia , sicut ipsa venit de *non esse* in *esse* , sic est de sua natura putare , quòd in se sit id , quod non est.

22. h. *Domine gloriose* ! Mirabiliter convenit , quòd , sicut homo nobilitatur & melioratur laudando & amando & honorando Te , & contemnendo se ipsum , sic deterioretur & vilificetur auferendo à Te tuam Nobilitatem , & attribuendo sibi Bonitatem & Virtutem , quam non est dignus possidere.

23. Et ratio , quare convenit , *Domine* , quòd homo volens honorari plús , quàm ad eum pertineat , deterioretur , quò plús vult honorari & amari , est , quia vult valere ultra terminum , ultra quem non debet , nec datum est ei , quòd valeat.

24. Unde benedictus sis , *Domine DEVS* , qui adeò bene ordinasti omnia ; quia , sicut beati perveniunt ad cœlestem gloriam amando Te , & attribuendo Tibi id , quod est in Te , sic pariter maledicti perveniunt

niunt ad perdurabilem poenam, attribuendo sibi ipsis id, quod in eis non est, nec est rationabile, quòd in eis sit.

25. i. *Laudate Rex verax!* Pulchrè potest omnis homo lætari & delectari in Te & in omnibus tuis operibus ratione magnæ ordinationis, quæ est in eis; quia, si ita esset, *Domine*, quòd peccatum veniret à Te, non oporteret, quòd Te incarnares, & morereris ad recreandum humanam naturam, nec quòd dares homini liberam voluntatem propter meritum gloriæ vel poenæ.

26. Nam, postquam Tu, *Domine*, non faceres differentiam inter peccatum & bona opera, non oporteret, quòd ullam rem ordinares, sed posses ponere omnes homines bonos & malos vel in paradiso vel in inferno, sive injustè sive justè.

27. Sed, sicut est impossibile, *Domine*, quòd tua benedicta Essentia deveniat in *non esse*, sic est impossibile, quòd ullum peccatum & ullum aliud contrarium rationi veniat à Te & per Te; nam id, quod non est in Te, non potest esse in Te.

R

28. K.

28. K. *O Vere Rex Gloriae, O directio & restauratio Catholicorum!* Valde magna poena, *Domine*, & gravis dolor est præparatus maledictis, qui credunt, quòd malum culpæ venerit à Te & per Te & per tuam Voluntatem; quia, sicut Te nobilitant & laudant, quoties Tibi attribuunt virtutes & bona, quæ venerunt per Te, ita Te inhonorant & vilificant & contemnunt, quoties Tibi attribuunt, quòd à Te venerint vitia & culpæ & peccata, quæ sunt majora mala, quæ possint esse.

29. Nos videmus, *Domine*, quòd vitium monstretur majus, quando est in hominibus honoratis in hoc mundo, quàm, quando est in hominibus vilibus: igitur, si ita esset, quòd vitium & peccatum veniret à Te, quàm magnum esset in Te, si in hominibus honoratis est adeò magnum? unde maledictus est, qui credit, quòd in Te sit ullum malum nec magnum nec parvum.

30. *Lætè & veraciter adorat & benedicit Te, Domine DEVS, tuus servus*
filius

filius tuæ ancillæ, & confitetur & credit, quòd sis adeò bonus & sapiens Dominus, quòd nunquam fuit nec erit, quòd ullum peccatum vel vitium veniret in *esse* per Voluntatem & Operationem divinam.

CAPUT LIV.

*QVOMODO FVERIT ORDINATA
Incarnatio Domini nostri JESU
Christi.*

1. **D**EVS gloriose, virtuose, qui assumpsisti Carnem ex nostra Domina Sancta MARIA: Benedictus sis Tu, & omne quod est à Te, quia tuus Adventus, Domine, & Incarnatio, quam assumpsisti in nostra Domina, est cum valde magna Ordinatione & cum magna ratione; nam, antequam assumeres Carnem, voluisti habere causam, per quam haberes rationem assumendi humanam Carnem.

2. Causa & ratio, quam habuisti, Domine, ad assumendum humanam Carnem, fuit

fuit ratione humanæ naturæ , quæ ceciderat in peccatum in Adamo ratione inobedienciæ , quam habuit erga Te : unde , ut humana natura recrearetur , voluisti venire in hunc mundum ad purificandum eam ab originali peccato.

3. Unde benedictus sis , *Domine DEVS* , qui voluisti , quòd in tua Incarnatione esset ratio & causa ; & quàm magna & necessaria fuit Recreatio humanæ naturæ , tam magna fuit causa , quam habuisti in assumendo Carnem pro amore nostri.

4. b. *Patiens Domine* , , *sapiens in omnibus sapientiis* ! Omnia tua facta sunt adeò ordinata & perfecta , quòd volueris denuntiare tuum Adventum per sanctos homines , & Prophetas , antequam Te incarnares in nostra Domina sancta *MARIA*.

5. Etiam placuit Tibi , *Domine* , ordinare , quòd in hoc mundo esset fœmina sancta & iusta Virgo , vera , virtuosa sinè omni vitio : unde , ut in tali Virgine Te posses

posses incarnare, voluisti ordinare, quòd Moyfi daretur lex, ut de genere Davidis nasceretur foemina credens, & amans suum Creatorem & suum Dominum, & ei serviens.

6. *Amorose Domine!* Tu voluisti ordinare, nostram Dominam sanctam MARIAM esse dignam, quòd assumeres Carnem ab ipsa; nam, quia fuit in Lege & in bonis operibus & Virginitate, fuit conveniens ad concipiendum de Sancto Spiritu; etiam, *Domine*, ut esset magis digna, voluisti ad eam mittere sanctum Archangelum Gabrielem, ut ipsa crederet Uerbis ipsius; quoniam, quò magis ipsa credidit in salutationem & in divinam Potestatem, & quò magis se humiliavit, ut esset tua Ancilla, eò magis fuit disposita, ut Te incarnares in ipsa.

7. c. Tibi, *Domine DEVS*, qui es vera Vita, fiat omnis Honor & Reverentia; quia, quando Te incarnasti, elegisti meliorem & nobiliorem & virtuosiore foeminam, & placuit Tibi, Te incarnare in ea
per

per operationem Sancti Spiritus, ut Incarnatio & Conceptio esset plus virtuosa & miraculosa & sanctificata.

8. *Domine JESU Christe!* Tibi sit Gloria & Honor; quia, sicut tota tua Incarnatio fuit ordinata & regulata, ita voluisti, quod nostra Domina ordinatè Te portaret in utero novem mensibus, & voluisti ordinatè nasci, & ordinatè nutriri, & ordinatè crescere, & ordinatè loqui, & quidquid fuit in tuo Adventu, ivit per Regulam Ordinationis.

9. Si tuus Adventus, *Domine*, non sic ivisset per ordinationem & secundum naturalem cursum, homines cognoscerent Te esse DEUM, & non hominem, & sic tuus Adventus non esset ordinatus ad recreandum humanam naturam; quia non esset, qui Te occideret, nec qui dubitaret in Te, & sic non potuissemus recreari, quoniam non morereris.

10. d. *Æterne Domine vivificans mortuos, consolatio desolatorum!* Tua Incarnatio est causa & Ordinatio exaltationis humanæ

manæ naturæ ; quia, si non esses incarnatus in nostra natura, non esset ordinatum, quòd ipsa esset in tam nobili gradu, & in tanta nobilitate & honore, sicut est.

11. Sed, quia Tu, *Domine*, es homo, tota humana natura est exaltata ; & quia venisti in hunc mundum, & nobis dedisti exemplum amandi, & bene agendi, ideo homines faciunt meliora opera, quàm facerent, si non venisses, nec dedisses nobis exemplum, quod nobis dedisti.

12. Transitus, quem Tu, *Domine*, fecisti de hoc mundo, quando es mortuus in sancta Cruce ad salvandum nos, fuit totus plenus Ordinatione & ratione ; nam, quia es mortuus & intrasti in gloriam, fuimus recreati : igitur, *Domine JESU Christe*, benedicta sit talis Ordinatio ; quia ordinate ad nos venisti, & ordinate inter nos fuisti, & ordinate exivisti de hoc mundo, & intrasti in alium.

13. e. *O gloriose mirabilis Domine !* Adeò magna est Ordinatio, quæ sequitur de tua Incarnatione, quòd ratione tui Adventus
omnis

omnis homo meliùs possit mortificare naturam potentiaè sensitivæ, quæ eum inclinât ad amandum se ipsum plùs, quàm suum proximum, quàm posset, si non esses incarnatus nec crucifixus nec mortuus.

14. Ratio, quare omnis homo, *Domine*, magis potest constringere potentiam sensitivam ratione tuæ Incarnationis, est, quia, quoties cogitet & memoret magnum amorem, quem ei fecisti in hoc, quòd volueris esse Homo pro amore hominis, & volueris pati ignominias & tormenta & mortem pro homine, toties sentiet se potentem in amando Te plùs, quàm se ipsum ratione magni Amoris, quem habuisti erga ipsum, & ratione magnæ Nobilitatis, quam cognoscet in Te.

15. Unde, si ita esset, *Domine*, quòd homo non memoraret nec cogitaret istum adeò magnum Amorem, quem habuisti erga eum, nemo posset ita vincere & constringere potentiam sensitivam, sicut potest, quando cogitat & memorat ipsum; unde benedictus sis, *Domine*, qui adeò benè ordinasti,

dinasti, quòd homo possit vincere se ipsum.

16. f. *Laudate Domine, nobilitate super omnes nobilitates!* Tu voluisti incarnari & nasci de paupere foemina, ut populi cognoscerent, quòd non venires in hunc mundum, ut esses dives temporalibus bonis, imò venires, ut esses pauper & contemptus & ignominiatus & illusus & tormentatus & occisus.

17. Pulchra ordinatio fuit, *Domine*, quòd volueris assumere Carnem in tali Virgine & tali Domina, quæ habet supremam Virginitatem & supremam Bonitatem & supremas divitias cœlestium bonorum; nam nulla res fuit nec est nec erit post Te, quæ tantum valeat in ulla Bonitate, quantum nostra Domina sancta MARIA valet in omni, quod est bonum & virtuosum.

18. Unde magna est, *Domine*, tua Ordinatio & tua Sapientia; quia, sicut tua divina Essentia est Supremum esse in Bonitate & Virtute, ita placuit Tibi Te incarnare in meliori esse, quod est post tuum;
nam,

nam, excepto Te, quæcunque bonitates sunt & erunt, non sufficiunt nec attingunt ad Bonitatem & Nobilitatem nostræ Dominae sanctæ **MARIÆ**.

19. g. *O spiritualis Rex gloria, in quo omnia bona perficiuntur!* Sicut bona arbor, quæ venit in æstate onerata foliis & floribus & fructibus, sic tuus Adventus & tua Humanitas venit tota cum ordinatione & cum fructibus utilibus hominibus in hoc mundo.

20. Ratio, quare tuus Adventus, *Domine DEVS*, est totus plenus Ordinatione & utilitate hominibus, est, quia est totus plenus Amore; quoniam inamoratus Te incarnasti, & inamoratus es natus, & inamoratus vixisti, & inamoratus es mortuus, & inamoratus ascendisti ad cœlestem gloriam in præsentiam cœlestis Patris.

21. Si tuus Adventus, *Domine*, est totus plenus Amore, non est ita de tuo sermo; quia dis-inamoratus fui generatus, & dis-inamoratus fui natus, & dis-inamoratus steti in hoc mundo ferè omnibus diebus

bus meæ vitæ; & nisi me in amores, credo, quòd in fine meorum dierum hinc exhibo, dis-inamoratus, & ibo in locum, in quo homo non amat nec est gratus.

22. h. Quis est, *Domine*, qui posset æstimare magnam Ordinationem, quæ est in tua Incarnatione? nam, quamvis tua divina natura se conjunxerit cum humana, tamen non fuit mutata nec alterata, imò est illa eadem, quæ erat antequam incarnaretur Persona Filii.

23. Etiam Ordinatio & directio tuæ Incarnationis est magna & mirabilis, *Domine*; quia, licet humana natura, quam assumpsisti, fuerit unita & conjuncta cum Deitate, tamen remansit natura humana, & non fuit mutata nec alterata in aliam naturam; nam, quàm veraciter aliqua res potest esse vera, tam veraciter est humana natura illa, in qua Te incarnasti.

24. Unde gloriosè & mirabiliter fuit facta, *Domine*, conjunctio tuæ Deitatis cum tua Humanitate, quia fuit facta in adeò magna Ordinatione & Sapientia, quòd nul-

lam

lam poenam, quam sustinuisti in hoc mundo, sustinueris, nec parvam nec magnam, in quantum eras DEUS; sed omnes labores & ignominias & poenas & mortem sustinuisti in tua humana natura, & omnia passus es in ea; unde benedicta sit ipsa & Tu, qui es Dominus ipsius.

25. i. *Æterne Domine, gloriose, benedictæ, amorose, plene Veritate!* Si tuus Adventus continet omnem Ordinationem & omnem Sapientiam, id, quod infideles credunt de nobis Catholicis, continet omnem stultitiam & omnem inordinationem; quia, quando ipsi audiunt nos dicere, quòd divina Essentia sit unita cum natura hominis, putant, quòd credamus Deitatem esse alteratam & mutatam in humanitatem; & quando audiunt nos dicere, quòd habueris famem & sitim & calorem & frigus & laborem & mortem, putant, quòd credamus, Deitatem habuisse istas passiones.

26. Igitur, quomodo potest sua intentio & stupiditas esse tam magna, quòd credant adeò magnum errorem de nobis Catholicis?

tholicis? Nam, quia audiunt, quòd Christiani credant & confiteantur Deitatem esse æternam & infinitam & totaliter perfectam in Virtutibus & in Bonitate, debent credere & scire, quòd non credamus tuam divinam naturam esse alteratam & mutatam unquam de suo statu; quia est impossibile rem æternam & infinitam & totaliter perfectam posse mutari & alterari in aliam naturam.

27. Tota ista inordinatio, *Domine*, est in credentia infidelium, & in opinione ipsorum, quia ignorant Ordinationem & Sapientiam, quam posuisti in tuo Adventu; & antequam ipsi respiciant ad ordinationem, quando audiunt loqui de tua Incarnatione, putant, quòd credamus Deitatem esse perversam in Humanitatem; & sic remanent decepti, & ignorant dispositionem & modum, quo fideles Christiani credunt in tuam Incarnationem.

28. K. *O Domine DEVS, qui es verum Lumen & verus Splendor & vera Directio fidelium Christianorum. Audi tuum servum, qui*

qui Te rogat plorans & suspirans inter angustias flectens genua & jungens manus & respiciens in Crucem ante tuum benedictum Altare, & à Te petit ut, quoniam posuisti totum tuum Adventum in Ordinatione, ordines, quòd fideles Christiani sint tam devoti & inamorati, quòd eant ad dicendum & prædicandum infidelibus, quomodo & quâ intentione fideles Christiani credant in tuum Adventum.

29. Etiam peto à Te gratiam, *Domine DEVS*, ut des infidelibus sensum & scientiam & subtilitatem, ut auscultent Christianos, & intelligant modum, per quem credimus in tuam Incarnationem & in tuam Passionem; quia, si hoc faciant, faciliter poterunt relinquere suam credentiam & poterunt transire in nostram.

30. *JESU Christe Domine!* Tibi fiat omnis Laus, & Tibi attribuatur omnis Valor & omnis Honor; quia per magnam Ordinationem, quæ est in conjunctione tuæ Deitatis cum Humanitate, sunt ordinata universa, quæ sunt in hoc & in alio mundo,

do, ut sint fervientia & subdita ad cognoscendum Gloriam & Valorem Tui, qui es noster Dominus DEUS.

CAPUT LV.

QVOMODO NOSTER DOMINVS JESVS *Christus ordinaverit in hoc mundo suam Passionem.*

1. **O** *JESV* *Christe* *verus* **DEVS**, & *verus* *Homo*! Tibi, *Domine*, sit Laus & Gloria, qui ordinasti, quòd mundus recrearetur & salvaretur per magnas tribulationes & pœnas, quas sustinuiſti & portasti pro amore nostri; unde benedictus sis, qui ordinasti, quòd tui labores essent causa nostræ perdurabilis requiei.

2. Omnes fideles Christiani, *Domine*, debent lætari in tua *Passione* & in laboribus, quos sustinuiſti in hoc mundo; quia adeò fuerunt pleni fructu, quòd humana natura, quæ ceciderat in majorem inordinationem, quæ possit esse, inde fuerit reversa

versa in majorem ordinationem, quæ possit esse.

3. Ut tuus Adventus, *Domine*, esset ordinatus ad redimendum humanum genus, voluisti ordinare, quòd divina Substantia à discredentibus non videretur in humana natura, quam assumpsisti; quia, si percepissent & vidissent tuam Deitatem in tua Humanitate, nemo fuisset, qui Te torqueret & occideret; & si tua Humanitas non fuisset passa labores & mortem, mundus non potuisset restaurari & mundari ab originali peccato.

4. b. *Singularis Domine, gratiose, grate!* Nulla pœna & vilitas mortis & ignominia est comparabilis cum illa, quam pertulisti & sustinuiisti pro amore nostri; quia labor & dolor & angustia, quos sustinuiisti, fuerunt super omnes dolores & amaritudines & contemptus, & super omnes vilipensiones.

5. Unde tota ista majoritas dolorum & ignominiarum & mortis, *Domine*, quæ fuit in Te, quando pro nobis sustinuiisti

Paf-

Passionem, fuit secundum Ordinationem & rationem pro magno peccato, quod convenit deleri: unde benedictus sis, *Domine*, qui voluisti sufferre, quod tuum Corpus esset pauper & venderetur & proderetur & ligaretur & reprobaretur & flagellaretur & colaphizaretur & conspueretur & vilipenderetur & illuderetur & perfoderetur & vulneraretur & crucifigeretur & potaretur aceto & moreretur; quia conveniebat, quod sustineres ista omnia secundum Ordinationem, per quam conveniebat nos recreari.

6. *Humilis Domine!* Omnes quaecunque vilitates possint cogitari in morte hominis, inveniuntur in tua Passione & Morte, si bene perpendatur; quia in vili loco fuisti suspensus cum latronibus, & fuisti elevatus in altum, ut omnes Te viderent, & fuisti crucifixus in medio loco mundi, ut omnes scirent ignominiam, quam suscepisti, & à tuis discipulis fuisti derelictus in morte, ut omnes viderent, quod non haberes amicos, & viliores gentes, quæ sunt,

S

Te

Te tormentaverunt & occiderunt sine omni causa & ratione: unde totum hoc fuit conveniens ita esse, sicut fuit; quia, sicut per tuam Passionem debebat sequi magna honoratio, ita convenit, quod ipsa esset in magna vilitate.

7. c. *Sapiens Domine, gloriose super omnes glorias!* Sicut humana natura, quam assumpsisti, vincit & superat in Bonitate & Virtute omnes res creatas, ita superat omnes ipsas Magnitudo tuæ Passionis & vilitas, qua fuisti affectus, quando es mortuus; quia, quanto melior es, tanto majores & graviores fuerunt tui dolores & inhonorationes.

8. Nulla fames nec ulla sitis, quæ unquam fuit in corpore hominis, est, *Domine*, comparabilis cum illa, quam sustinuiisti in hoc mundo; quia, in quantum tuum Corpus fuit purificatum & naturatum in humana natura plus, quam ullum aliud, in tantum fuit plus sensibile famis & sitis & poenæ, quam aliud.

9. Tua Passio & labor, quem habuisti

isti in hoc mundo, *Domine*, fuerunt mirabiliter pleni omni Ordinatione & Sapientia; quia, quò plús fuisti sensibilis laboris & poenæ, eò plús demonstravit se magnus Amor, quem habes erga nos; & eò plús dedisti nobis exemplum, ut Te debeamus amare & honorare & Tibi servire.

10. d. *O Domine JESV Christe, qui es Lux & Splendor Catholicorum!* Benedictus sis Tu; quia, quantam poenam sustinuisti pro amore nostri, tantum nos obligasti ad faciendum pro amore Tui: & in quantum cereus ardens est magnus & altus, in tantum est magnum lumen & claritas, quam dat hominibus circumstantibus: igitur, cùm sancta figura tuæ Crucis stet ita lucida coram populo in Ecclesia, ideo representatio tuæ Figuræ, quam demonstrat, est valde magnum lumen & exemplum, quod homo potest capere ab ea.

11. Unde laudata & benedicta sit, *Domine*, magna Ordinatio & directio, quæ nobis venit à splendore, quem sancta Crux demonstrat tuo populo; quia in Cruce potest

est homo videre & percipere graves dolores & magnas ignominias, quas recepisti: igitur beati sunt, qui illuminantur & obumbrantur & requiescunt sub umbra ipsius, quæ dat quietem à calore infernali.

12. *Cælestis Domine!* Sicut infirmus melioratur & reconvalescit per carnem, quam comedit, quando infirmitas eum reliquit; ita ordinasti, quòd anima hominis confortetur per visionem tuæ Passionis in Cruce, & per memoriam ipsius peccatum deleatur in eo.

13. e. *Tibi, Domine DEVS*, qui es refugium & restauratio afflictorum, sint laudes & gratiæ & gratiarum actiones; quia Tibi placuit mori pro amore tui populi, & Tibi placuit perferre, quòd Apostoli & Discipuli Te desererent in tua morte.

14. Unde benedictus sis, *Domine*; quia, quòd plus fuisti affectus ignominias à Judæis, & derelictus ab Apostolis, eò majores fuerunt tui labores & dolores in contemptu, qui fuit Tibi factus; & derelictio fuit occasio & ordinatio, quòd tua Passio
esset

esset major & gravior.

15. Unde, quantò major fuit, *Domine*, gravitas tuæ Passionis & tuæ Mortis, tantò major fuit amor, quem habuisti ad tuum populum, & tantò majus fuit exemplum amoris, quod nobis dedisti.

16. f. *Excelleus Domine, supreme, qui vivificas & mortificas quidquid vis!* Sicut humana natura fuit inordinata & cecidit in errorem in Adamo per magnam delectationem, quam Adamus putavit habere de fructu; ita fuit conveniens, quòd ipsa recrearetur in Te per magnam amaritudinem tribulationis & mortis.

17. Unde, *glorioso Domine*, ista fuit valde pulchra ordinatio; quia, si humana natura fuit inordinata in Adamo per desiderium habendi id, quod ad eam non pertinebat, conveniens fuit, quòd ordinaretur per tuam Passionem & Mortem, quæ fuit in Te, quin merereris pati nec mori.

18. Manifestè demonstratur, *Domine*, quòd tua Passio fuerit in magna Ordinatione & in magna Sapientia; quia, sicut ipsa
fuit

fuit suprema in doloribus & laboribus & morte; ita bonum, quod consequuntur beati per eam, est supremum bonum, quod homo possit habere & possidere; & sicut beatis evenit maximum bonum per tuam Passionem, ita maledictis discredentibus vel ingratis ipsis evenit maximum malum per suam incredulitatem vel ingratitude-
nem.

19. g. *Potens Domine, fortis super omnes fortitudines!* Per tuam Passionem fuit ordinatum, quòd clauderentur portæ, per quas septem peccata mortalia intrant in hominem, ut non essent loca, per quæ in eum possent pervenire; & per tuam Passionem fuit ordinatum, quòd aperirentur portæ, per quas virtutes possent intrare & venire in hominem.

20. Unde, quando homo, *Domine*, imaginatur & perpendit magnitudinem tuæ Passionis & vilitatem tuæ Mortis, potest se custodire ab omnibus vitiis, si velit, & potest se complere virtutibus.

21. Et propterea, *Domine*, placuit Tibi
bi

bi ordinare, quòd poneretur figura sanctæ Crucis ante nostros oculos, ut in ea perciperemus magnam Passionem, quam sustinuiſti pro amore nostri: igitur, sicut per verbum denuntiat homo id, quod est in sua mente, ita figura Crucis nobis denuntiat & demonstrat graves dolores, quos sustinuiſti, & magnum amorem, quem habes ad tuum populum.

22. h. Tuæ sanctæ Passionis, *Domine*, sit laus & gloria & benedictio; quia propter magnum Amorem, quem cognoscimus esse in Te, segregantur homines Religiosi à mundanis, & renuntiant omnibus prosperitatibus & delectationibus temporalibus, & dant se ad amandum & honorandum Te, & ad memorandum tuam Passionem & ad dandum laudem de Te, & de omni, quod tuum est.

23. Propter magnas angustias, *Domine*, & propter magnos labores, quos homines vident Te sustinuisse pro eis, ædificant hospitalia pauperibus, & eunt in peregrinationes, & faciunt orationes & jejunia, & castigant

tigant sua corpora nocte & die, & faciunt multa pro amore Tui, quæ non facerent, nisi sumerent exemplum in tua Passione.

24. Et quia in tua Passione videmus, *Domine*, tot dolores & ignominias, quas pertulisti & portasti pro amore nostri, ideo homines divites dant pauperibus, & reges humiliant se ad tuos servos & osculantur manus & pedes eorum, & pro amore Tui multi homines sunt facti Martyres & sunt multi, qui desiderant assumere martyrium.

25. i. *O vere Domine, pie, plene omnibus bonis!* Nullum mirum est, si tua Passio sit tota plena Ordinatione & directione; quia est tota plena intus & foris Amore & Dulcedine & Misericordia & Pietate & Fructu.

26. Unde, cum tua Passio, *Domine*, sit tota plena Ordinatione & virtutibus, tuus servus & tuum mancipium rogat Te, ut ordines servos & amatores & laudatores, qui eant prædicando tuam Passionem per diver-

diversas terras & diversas gentes & in diversis linguis, & moriantur diversis martyriis.

27. Nam, sicut tua Passio, *Domine*, fuit ad redimendum nos, sic secundum modum ordinationis debet ordinari, quòd homines tormententur & moriantur ad dandum laudem de tua Passione; &, sicut in tua Morte fuerunt multi dolores, sic convenit, quòd multi sint laudatores tuæ Passionis; &, sicut tui dolores fuerunt magni & fortes, sic convenit, quòd laudatores tuæ Passionis sint homines magni generis & magnarum virium & magnarum honorificentiarum.

28. K. Anxiè & lacrymosè genuflexus devoto corde & veraci lingua Te, *Domine*, orat & Te invocat & Tibi gratias agit tuus homo filius tuæ ancillæ & tui subditi propter tuam Passionem; quia, quando ipse erat mortuus & dormiens in peccatis mortalibus, ipsa eum suscitavit & eviligare fecit, & ei ostendit tuam Bonitatem & suam fragilitatem & miseriam.

29. *JESU*

29. *JESU Christe Pater* ! Cúm tua gravis Passio fit principium & causa mea erectionis & expergefactionis à peccatis, peto à Te gratiam, *Domine*, ut ipsa det amorem meo cordi & lacrymas meis oculis & bona opera meis manibus & meis pedibus securas vias.

30. Dormiendo & vigilando, eundo & sistendo, *Domine*, non fit meum cor in ulla alia re, nisi in memorando tuam Passionem & tuam Bonitatem, nec mea desideria sint, nisi in dando gloriam & laudem de Te, qui es noster Dominus DEUS.

CAPUT LVI.

QUOMODO DEVS ORDINATE
in hoc seculo abscondat, & revelet gloriam
& pœnam alterius seculi.

1. *D*ivine *Domine*, misericors, abundans
a. *D*ominibus bonis ! Tibi fiant laudes
& gratiæ pro magna ordinatione, quam
po-

posuisti in hoc mundo, ut hominibus reveletur & demonstretur gloria & pœna alterius sæculi.

2. *O Domine sapiens, amorose!* Benedictus sis Tu, qui ordinasti, quòd in homine sint quinque sensus corporales & quinque spirituales; quia gloria & pœna alterius sæculi est sensibus corporalibus occulta, & sensibus spiritualibus revelata.

3. Unde benedictus sis, *Domine DEVS*, qui voluisti, quòd homo habeat corpus & animam; quia per naturam corporis homini præsentantur & demonstrantur sapor & delectationes hujus mundi, & occultantur ei gloria & pœna alterius sæculi, & per naturam animæ demonstrantur ipsi gratiæ & pœnæ alterius sæculi.

4. b. *Proficue Domine, Adjutorium & Refugium afflictorum!* Quia Tu es Substantia invisibilis, voluisti, quòd Angelus & anima non sint res visibiles.

5. *Pie Domine!* Si ita esset, quòd videreris in hoc mundo, sicut in alio, nullus homo esset ordinatus ad lucrandum gloriam

vel

vel poenam: igitur propterea placuit Tibi esse in hoc mundo invisibilis oculis corporalibus, quia hic mundus non est locus, in quo homo debeat possidere gloriam de tua visione.

6. Si Tu, *Domine DEVS*, in hoc mundo demonstrares oculis corporalibus Angelos & dæmones, nullus homo esset ordinatus, nec esset in libera voluntate faciendi bonum vel malum; quia tam magna esset certificatio gloriæ & poenæ alterius sæculi, quòd nemo in se sentiret libertatem faciendi malum propter magnum gaudium, quod haberet de visione Angelorum; & propter magnum timorem, quem haberet de visione dæmonum,

7. c. *Sanctissime Domine, gloriose, plene Pietate & Misericordiâ*: Si homo audiret auribus corporalibus in hoc mundo loqui tuam Deitatem, & loqui Angelos & dæmones, non esset in ordinato statu lucrandi meritum gloriæ vel poenæ; quia tua Verba, & verba Angelorum essent ei adeò placentia, & verba dæmonum essent ei adeò ter-

terribilia, quòd non haberet meritum de ulla re, quam faceret.

8. Si homo, *Domine*, odoraretur in hoc mundo graves foetores, qui sunt in inferno, & sentiret gloriam vel poenam alterius saeculi, nulla ordinatio esset ei data, per quam esset dignus lucrari paradisum, vel ire in infernum.

9. Unde lauderis & colaris & benedicaris & Tibi serviatur, *Domine DEVS*, qui gloriam & poenam alterius saeculi revelasti & occultasti hominibus in hoc mundo; quia per hanc revelationem & occultationem; in qua sunt, sunt dispositi ad faciendum bonum vel malum, ut sint ordinati ad causam finalem, propter quam eos creasti.

10. d. *O excellens Domine, Pater Patrum & Domine Dominorum!* Laudetur & benedicatur & gratificetur omne id, quod ordinasti in hoc mundo; quia, sicut homo percipit & intelligit in rebus corporalibus per naturam sensuum corporalium, ita percipit & intelligit in rebus intellectualibus
per

per naturam sensuum spiritualium.

11. Unde benedictus sis, *Domine DEVS*; quia per istam talem ordinationem mutant se homines à sensualibus ad sciendum & intelligendum intellectualia, cum per sensualia significantur intellectualia.

12. Nam per præsentiam rerum sensualium, quas habemus, *Domine*, in nostris sensibus corporalibus, intelligimus in sensibus spiritualibus, quòd sis in *esse*, & scimus, quòd sis unus solus *DEUS*, & sis Creator & Dominus & Restaurator noster, & Benefactor omnium rerum; & in tua Justitia & Sapientia percipimus, quòd paradus sit assignatus credentibus Veritatem, & incredentibus sit assignatus ignis perdurabilis.

13. e. *Mirabilis Rex, sapiens supra omnes sapientias*! Benedictus sis, qui ordinasti, quòd per tuam Bonitatem homo percipiat in hoc mundo gloriam alterius sæculi; nam, quoniam per demonstrationem, quam nostra anima, *Domine*, habet de tua
magna

magna Bonitate, cognoscit, quòd gloria alterius sæculi sit valde magna & valde mirabilis.

14. Sicut oculis corporis demonstrantur res pulchræ per colores & ornamenta & pulchritudinem figurarum, ita, *Domine*, oculis animæ per tuam Bonitatem demonstratur magnitudo gloriæ alterius sæculi.

15. Nam, sicut nostra anima Te imaginatur perfectum in omnibus Virtutibus & in omnibus Nobilitatibus & in omnibus Dignitatibus & in omni Perfectione; ita, *Domine*, nostra anima imaginatur dona, quæ das, & gratias, quas facis, esse magnas & mirabiles; quia, qui est suprema Bonitas, convenit, quòd det supremam felicitatem.

16. f. *Rex vere, gloriose, supreme Domine!* Benedictus sis Tu, qui ordinasti, quòd per tuam magnam Bonitatem reveletur & demonstraretur nostræ animæ magnitudo pœnæ infernalis.

17. Nam, quia nos, *Domine*, intelligimus

gimus esse valde magnam & valde nobilem tuam Bonitatem, convenit, quòd intelligamus valde magnam esse gloriam, quam perdit, qui Te perdit: igitur, in quantum est magnum id, quod perdit, in tantum magna est pœna illius, qui Te perdit.

18. Unde non est ullus homo, *Domine*, perdens Te, qui posset æstimare nec comparare id, quod perdit, nec qui posset æstimare dolores & pœnas, quas habebit in alio sæculo; quia in isto ignorat & dis-cognoscit & dis-amat tuam magnam Bonitatem.

19. g. *Domine sancte, virtuose, amorose, abundans omnibus bonis!* Non est ullus homo, qui posset æstimare ordinationem, quæ sequitur ex hoc, quòd gloria & pœna alterius sæculi sit occulta in hoc mundo; & sicut per occultationem earum sequitur ordinatio, ita per demonstrationem & revelationem, quæ fit nostræ animæ, sequitur ordinatio: unde benedictus sis, *Domine DEVS*, qui ita bene hoc ordinasti; nam,

nam, quia dubium prius est in rebus intellectualibus, quàm in sensualibus, ideo voluisti, quòd gloria & pœna alterius sæculi manifestentur nobis cum rebus intellectualibus & non cum sensualibus.

20. Laudatus & invocatus sis, *Domine DEVS*, qui es adeò bonus Ordinator; nam, sicut majores sunt dubitationes & suspiciones, quas homo habet in rebus intellectualibus, quàm sint dubitationes & suspiciones, quas habet in sensualibus, ideo, homines habent majus meritum, quando credunt & stant firmi in rebus intellectualibus, quàm quando sciunt & sunt firmi in sensualibus.

21. Quia fides stat in rebus intellectualibus, & istæ sunt occultæ sensibus corporalibus, ideo, *Domine*, est major & nobilior fides & credentia, quàm sit certificatio & scientia rerum sensualium, quæ sunt præsentæ & manifestæ sensibus corporalibus.

22. h. *Salvator Domine, Restaurator, Dux, Redemptor noster!* Tu voluisti, quòd
T illa

illa Fides & Lex, quæ est vera, sit magis profundata & naturata in rebus intellectualibus, quàm aliæ credentiæ, quæ sunt propinquiores rebus sensualibus: unde ista ordinatio est valde bona: quia subjectum rerum intellectualium est Fides in hoc, quòd homo per Fidem eas sciat, & subjectum sensualium est testimonium visus & auditus & gustus & tactus & odoratus.

23. Etiam voluisti, *Domine*, quòd Fides Christianorum in credendo & affirmando res intellectuales transcendat omnes alias credentias; quia credere in tuam Trinitatem & Unitatem & Incarnationem Deitatis in Humanitate, est major & profundior intellectualitas, quàm ullæ aliæ credentiæ Judeorum & Saracenorum & aliarum generationum.

24. Unde benedictus sis, *Domine DEVS*, qui ordinasti, quòd omnes credentiæ, quæ contrariæ sunt credentiæ Christianorum, sint propinquiores rebus sensualibus, & remotiores ab intellectualibus, quàm

quàm sit nostra sancta Fides, quæ magis profundatur in credendo res intellectuales, & magis elongatur à sensualibus.

25. i. *Gloriose Rex liberalis, plene Gratiâ!* Tu ordinasti, quòd homines, qui moriuntur in hoc mundo, non revertantur ad narrandum gloriam vel poenam alterius sæculi; quia, si huc reverterentur, non haberemus tantum meritum de eo, quod facimus; quia fides, quam homo habet, non est tam nobilis & virtuosa per res manifestas, sicut est per res secretas & absentes.

26. Tibi, *Domine DEVS*, sint laudes & gratiæ, qui gloriam & poenam alterius sæculi revelas intellectui illorum, qui Te amant & Tibi serviunt & obediunt: unde beati sunt, qui tenent secretè id, quod secretè eis revelas de alio sæculo; quoniam ideo facis eis hanc revelationem, quia sciunt eam habere secretam.

27. Multi homines, *Domine*, se jactarent apud gentes, & superbirent, si eis revelares secreta alterius sæculi; & ideo non

vis

vis ipsis ea revelare, quia illa non haberent secreta, sicut illi, quibus multa revelas.

28. K. *O Creator Domine pie!* Virtus & Perfectio cognoscantur Tibi, qui occultasti hominibus diem suæ mortis in hoc, quòd non sciant, in qua die & hora morientur: unde valde bene hoc ordinasti; quia, si homo sciret diem suæ mortis, esset magis superbus & magis malus & inordinatus.

29. Quando homo, *Domine*, est mortuus, est rationabile, quòd statim certificetur de suo statu alterius sæculi; sed in hoc mundo non esset ordinatio, si homo posset certò scire ante suam mortem, utrùm intrabit in paradisum vel in infernum.

30. Tuus servus & tuus famulus, *Domine DEVS*, agit Tibi multas gratias, & Te laudat, & benedicit per hoc, quòd ita beneordinaveris hominem ordinatè occultando & revelando ei gloriam vel pœnam alterius sæculi; quia per istam ordinationem est homo magis ordinatus ad cognoscen-

Vol. I. Lib. II. Dist. XI. Cap. LVII. 293
eendum in altero sæculo tuam Bonitatem
divinam.

CAPUT LVII.

QVOMODO DEVS ORDINAVE-
rit Viam Paradisi.

1. **O** *DEVS potens!* Tibi sint laudes &
a. gratiarum actiones; quia Tu, *Do-*
mine, ostendisti viam Paradisi cum sancta
Humanitate, quam assumpsisti, ut aperires
portas ipsius humano generi, cui erant clau-
sæ, antequam esses Incarnatus in nostra Do-
mina sancta **MARIA**.

2. Angustia & dolores & labores &
ignominia & ploratus & lacrymæ & mors,
quam Tu, *Domine*, sustinuiisti in sancta Cru-
ce, fuerunt causa nostræ salvationis, &
fuerunt ad demonstrationem & illumina-
tionem viæ Paradisi: etiam ordinasti, *Do-*
mine, per laborem, quem sustinuiisti, quòd
fideles Christiani sumeremus exemplum in
Te, ut sustineremus pro amore Tui id, quod
susti-

sustinuisti pro amore nostri.

3. Etiam placuit Tibi, *Domine*, ordinare, quòd Baptismus esset via salvationis, quem baptismum voluisti dividere in tres, scilicet in baptismum flaminis & sanguinis & aquæ: unde benedictus sis Tu, qui omnes tres Baptismos habuisti in Te; quia per inflammationem amoris voluisti mori, & per Baptismum sanguinis voluisti baptizari in sancta Cruce, & in flumine Jordanis voluisti baptizari aquâ.

4. b. *O Domine sapiens, perdurabilis, juste!* Benedictus sis Tu, qui ordinasti, quòd Prophetæ & Apostoli & Martyres & Confessores fuerint missi ad gentes, ut denuntiarent tua mandata & demonstrarent viam Paradisi, & ut darent exemplum populis, quomodo & quibus operibus homo perveniat ad cœlestem Gloriam.

5. Etiam placuit Tibi, *Domine*, ordinare quòd homines sancti, per quos demonstrata est via Paradisi, facerent multa miracula, ut gentes eos meliùs reciperent, & crederent, & essent magis firmæ in verbis
&

& credentia eorum.

6. Tu, *Domine*, voluisti dare veram Legem hominibus; & in ea præcepisti res, per quas homo vadit in Paradisum, & prohibuisti res, per quas homo vadit in infernum.

7. c. *Amabilis Domine, grate, desiderate à tuis servis!* Tu ordinasti, quòd Veritas sit via, per quam homo vadit ad Paradisum: unde benedictus sis, quia, sicut Tu es Veritas; ita convenit de necessitate, quòd via, per quam homo prevenit ad Te, sit via vera & sinè omni falsitate; cùm Veritas non inveniatur per viam falsitatis.

8. Dulciter & devotè adoreris & invoceris, *Domine*, qui ordinasti, quòd fidelitas sit fundamentum viæ Paradisi; quia omnes virtutes privantur in homine, in quo non est fidelitas: unde beati sunt omnes, qui sunt in fidelitate, & qui non eunt sinè ipsa.

9. Mirabiliter bene est ordinatum, *Domine*, omne, quod ordinasti; quia voluisti, quòd vera Fides sit via Paradisi; quoniam,

niam, sicut cereus accensus illuminat cameram de nocte, ita vera Fides illuminat animam hominis, & ipsa est directio omnium bonorum, & per ipsam est homo dignus venire ad beatam Gloriam.

10. d. *O Domine DEVS, á quo nascuntur & derivantur omnia bona!* Laudatus sis Tu in omni, quod ordinasti; quoniam ordinasti, quòd amor sit chorda & catena, per quam homo trahatur ad Gloriam Paradisi, & qua ligetur, ne exeat à via, qua itur ad ipsam; quia amor facit hominem avidum & anxium & sollicitum & legalem & verum & patientem & largum & sapientem & curialem, & amor est causa omnium bonorum.

11. Verus amor, *Domine*, facit hominem ire per primum motum, & habere ordinatam intentionem: unde benedictus sis, quia per istas duas res perveniunt homines in supremum gradum perfectionis & in supremam remunerationem.

12. Illi, quos amor, *Domine*, movet ad eundem per primum motum, & quos
facit

facit amare Te prima intentione, sunt magis amatores tui *esse*, quàm *esse* sui ipsorum & cujuslibet alterius rei, & amant suum proximum tantum, quantum amant se ipsos: igitur laudetur talis amor, quoniam tanta ordinatio & tot bona ab eo proveniunt.

13. e. *Rex amans misericors, pie, remittens!* Tu, *Domine*, ordinasti, quòd orationes sint via Paradisi; quia voluisti, quòd per orationes homo ascendat ad Te: igitur benedicta sit scala, per quam homo ascendit de hoc loco tenebroso ad perdurabilem splendorem.

14. Quoties homo, *Domine*, incipit orare laudando & amando Te, & confitendo tuam Bonitatem, & vilitatem & miseriam, quæ est in se ipso, toties incipit ascendere ad Te.

15. Non est ullus homo, *Domine*, qui posset æstimare magna bona, quæ eveniunt per orationem; quia oratio facit de homine superbo humilem, & de falso legalem, & de inimico amicum, & de injurioso veracem,

cem, & de feroci simplicem & suavem.

16. f. *Domine DEVS*, qui *salvas & custodis fideles Christianos á vanitatibus mundanis & á tentationibus diabolicis!* Laudatus & benedictus sis Tu, qui ordinasti, quòd homo eat ad paradisum per veram confessionem; & benedictus sis, *Domine DEVS*, qui ordinasti Clericos & sanctos Religiosos, quibus homo confiteatur omnia sua peccata, ut sit in recta via Paradisi.

17. Quia homo, *Domine*, confitetur veraciter sua peccata sanctis hominibus, remittuntur ei quantumcunque gravia sint; & ratione veræ confessionis fit satisfactio debitorum & injuriarum, quas alii homines fecerunt aliis, quæ satisfactio fit per consilium confessoriorum, quibus homo confitetur.

18. Benedictus sis, *Domine DEVS*, qui ordinasti, quòd homines confiteantur Clericis; quia Clerici certificant ipsos de rebus, quæ sunt vitiosæ, & quæ eunt per viam peccati, & admonent & demonstrant eis

eis bona opera, per quæ itur ad cœlestem benedictionem.

19. g. Sanctitas & dulcedo & honor dentur & attribuantur Tibi, *Domine DEVS*, qui ordinasti, quòd justitia in terra sit occasio & via intrandi in paradisum, & fugiendi ab igne infernali; quia justitia refrænat homines malos & superbos ne faciant tot mala pauperibus impotentibus, quot facerent, nisi timore justitiæ detinerentur.

20. Ad tenendum justitiam ordinasti, *Domine*, quòd in hoc mundo sint Reges & Principes & Comites & alii Barones, qui teneant vias securas, & puniant malos homines, & qui teneant pacem in terra, ut per pacem significetur Gloria alterius sæculi, & per pœnam, quam dant malis hominibus, significetur pœna infernalis.

21. Supplicando, *Domine*, Te adoro & benedico, quia ordinasti, quòd eleemosyna sit via & semita, per quam homo eat in Paradisum; quia per eleemosynam habent divites occasionem dandi pauperibus, & per

per eleemosynam habent pauperes occasionem essendi grati divitibus; & ita divites & pauperes eunt per ordinatam eleemosynam in Paradisum.

22. h. *O Domine sapiens, virtuose, super omnes magnitudines magne & nobilis!* Tibi sint laudes & gratiæ, qui ordinasti quòd per pœnitentiam homo eat ad Gloriam Paradisi; quia, sicut ignis mundat & purificat aurum, ita voluisti, quòd homines peccatores mundentur & purificentur per pœnitentiam; quoniam, sicut Tu es absque omni corruptione, ita oportet, quòd euntes ad Te sint purificati per opera pœnitentiæ.

23. Quia pœnitentia, *Domine*, est via, per quam homo vadit ad Te, oportet, quòd homo faciat eleemosynas & jejunia & afflictiones & orationes, & ploret & suspiret & laboret & vigilet pro tuo amore; quoniam omnia ista sunt opera pœnitentiæ.

24. Tu, *Domine DEVS*, ordinasti, quòd satisfactio sit via Paradisi: unde, cùm in Fide Christianorum satisfactio sit magis ordi-

ordinata & perfecta, quàm in ulla alia credentia; ideo significatur Christianis esse eis magis directam & ordinatam viam Paradisi, quàm ullis aliis hominibus.

25. i. *Tibi, Domine DEVS*, qui scis omnia, sit honor & servitium omni tempore, quia Tibi placuit ordinare, quòd per spem homo perveniat ad tuam Gloriam; nam spes facit nos memorare tuam magnam Misericordiam, & ipsa nobis demonstrat & affirmat tuam Misericordiam esse majorem, quàm sint nostra peccata & nostræ culpæ.

26. *Amorose Domine!* Tu ordinasti, quòd humilitas sit homini occasio salvationis; quia ipsa facit humiliari divites pauperibus, & facit homines satiatis recordari esurientium, & facit homines contemplari tuam Bonitatem & percipere vilitates & miserias, quæ sunt in se ipsis.

27. *Suavis Domine, pie!* Tu ordinasti, quòd timor sit via Paradisi; quia ipse facit homines timere tuam magnam Potestatem & tuam magnam Justitiam, & dat
ipsis

ipsis demonstrationem de fragili potestate, quæ est in eis, & facit eos memorare suas culpas & defectus.

28. K. Charè & devotè debes laudari, *Domine DEVS*, & benedici ab omnibus populis; quia ordinasti, quòd patientia sit via & semita, qua itur ad Paradisum; quoniam ipsa facit homines in hoc mundo sustinere labores & famem, ut Tibi serviant, & obediant tuis mandatis.

29. Obedientiam, *Domine*, voluisti ponere in hominibus, ut per eam perveniant ad Te; quia obedientia facit homines obedire tuis mandatis, & facit populos stare sub Principibus, quos elegisti, & facit fieri bona opera & evitari mala.

30. Cùm Tu, *Domine DEVS*, ordinaveris & volueris, quòd devotio & omnes aliæ Virtutes sint occasio eundi ad Paradisum, beati sunt illi, qui in devotione stant & congregant virtutes, quas possunt; quia, quò plures virtutes, habent, eò planiores inveniunt vias, per quas pervenitur ad tuam præsentiam divinam.

CAPUT

QVOMODO DEVS ORDINAVE-
rit Diem Iudicii.

1. **O** DEVS perdurabilis, gloriose, su-
a. per omnes magnitudines magne &
mirabilis! Quando numerus hominum, Do-
mine, qui futuri sunt in Gloria Paradisi, erit
completus, tunc cessabit cursus naturæ hu-
manæ, & erit dies iudicii, quem ordinasti
esse ultimum, in quo separentur boni à
malis.

2. Dies admirationis, Domine, erit ille,
in quo conjunges atomos & ossa hominum,
quæ sunt dispersa per terras, & compones
& conjunges illa, & facies devenire omnes
homines in illam carnem & ossa, in quibus
fuerunt, quando transierunt ex hoc mundo
in alium, & natura non poterit Tibi in hoc
resistere.

3. In die iudicii, Domine, surgent hu-
mana corpora tota integra & nova, & om-
nia erunt convenientis ætatis, & quodlibet
corpus

corpus recuperabit animam, & quælibet anima unietur cum corpore in *esse* humano, sicut fuit tunc, quando anima & corpus fuerunt separata.

4. b. O Domine **DEVS**, qui es dignus laude & cultu & servitio omnium gentium! Tibi sint laudes & gratiæ, qui vis, quòd in die iudicii omnes homines resurgant cum intellectu & cognitione & memoria omnium rerum, quas in hoc mundo fecerint; & quilibet habebit certam scientiam de sententia, quæ est ei danda secundum sua merita.

5. Homines iusti, Domine, qui fuerint in hoc mundo obediens tuis mandatis, surgent de sepulchris læti & jucundi ratione beatæ benedictionis, quæ eis demonstrabitur in tua præsentia; & peccatores, qui fuerint mortui in peccato, surgent cum gravibus doloribus & ploratibus & planctibus & clamoribus, ratione repræsentationis & denuntiationis, quæ eis fiet de pœna infernali perdurabili.

6. In die iudicii, Domine, voles, quòd
ho-

homines justi & Angeli sint simul in tua beata Gloria, ut ordinatè Te adorent & laudent & benedicant sinè fine; & voles, quòd maledicti eant cum dæmonibus in infernum ad perdurabiles pœnas, ut sinè fine diversis pœnis & languoribus puniantur ratione suarum gravium culparum.

7. c. Omnis nobilitas & omnis virtus dentur & cognoscantur Tibi, *Domine DEVS*; quia venies in die iudicii vestitus sancto habitu, quem assumpsisti in utero nostræ Dominae sanctæ *MARIÆ*.

8. Tu, *Domine*, venies in die iudicii in humano corpore, ut videaris ab illis, quos iudicabis, quia ita convenit esse ordinatum, ut boni & mali in die iudicii videant illum, qui eos iudicabit ad perdurabilem Gloriam vel pœnam; quoniam, nisi venires in humana forma, non possent Te videre omnes illi, quos iudicabis, quia iniusti non erunt digni videre tuam Deitatem.

9. Unde valde bene hoc ordinasti, *Domine*, quia justi lætabuntur videndo tua vulnera ratione magni amoris, quem in

V

Te

Te cognoscent ; & maledicti contristabuntur ratione magnæ ingratitudinis & discredentiæ , quam recolent se habuisse erga Te.

10. d. *O Domine DEVS!* Benedicta visio erit in die iudicii illa , quæ erit inter Te & tuos fideles amicos ; quia sicut ipsi Te videbunt in *esse* humano , & Te videbunt nudum & vulneratum & flagellatum pro suo amore , ita Tu videbis inter ipsos multos vulneratos & tormentatos & spoliatos & depauperatos pro tuo amore.

11. Magnam verecundiam habebunt in die iudicii homines mundani , qui non videbunt se pro tuo amore vulneratos nec tormentatos nec vilipensos , imò se videbunt vulneratos & afflictos pro vanitatibus & rebus parvæ utilitatis & nullius momenti.

12. Beati sunt, *Domine*, illi, qui in hoc mundo vestiuntur rubeis coloribus & pannis similibus illis, quibus vestitus fuisti in die tuæ mortis : igitur istam beatitudinem & gratiam sperat omni die tuus servus à Te,
quòd

quòd sua vestimenta cooperiantur sanguine & lacrymis in sua morte, si Tibi placeat eum mori pro amore Tui & illorum, qui Te amant & quos Tu amas.

13. e. O *JESU* *Christe Domine* ! Quàm mirabilis erit illa dies, quâ stabis in medio justorum & peccatorum, & dabis sententiam vocando Angelos, ut ascendant in gloriam cum beatis, & perdurabiliter possideant tuam præsentiam, & præcipiendo maledictis dæmonibus, ut descendant in abyssum cum peccatoribus, & eos tormentent perdurabiliter infinitis pœnis.

14. In illa die, *Domine*, dabunt Angeli & homines sancti voces & clamores & cantica laudum & gratiarum, & ibunt mirabili lætitiâ in tuam Gloriam, qua nunquam privabuntur.

15. Et dæmones, *Domine*, & homines peccatores cum gravibus clamoribus & magnis vocibus & ejulatibus & omni desperatione de tua Misericordia ibunt in ignem infernalem, in quo nunquam videbunt tuam præsentiam.

16. f.

16. f. *Liberalis Domine, qui recreasti & beatificasti humanum genus!* Nullus homo poterit in die iudicii appellare à tua sententia; nec valebunt preces nec patrocinia: adeò erit iusta & æqua & terribilis.

17. Imò cognoscent, *Domine*, homines iusti & etiam peccatores, quòd tua Sententia erit ordinata porta, per quam alii intrabunt in Paradisum & alii in infernum.

18. Unde valde miror, *Domine*, de hominibus peccatoribus quamdiu sunt in hoc mundo, in quo possent eis prodesse bona opera & orationes & preces, quomodo possit esse, quòd non precentur & plorent & orent, dum habent tempus; quia, quando erunt in die iudicii, non valebunt eis preces nec orationes nec aliud, quod faciant aut dicant.

19. g. *O gloriose Splendor, Illuminatio omnium rerum!* Benedictus sis, *Domine*, qui ordinasti tuam Sententiam diei iudicii timeri in hoc mundo; quia ratione magnæ Sapientiæ & Potestatis & Voluntatis, quæ sunt.

sunt in Te, convenit, quòd ipsa timeatur; quoniam ratione tuæ Sapientiæ nullum peccatum est Tibi occultum, & ratione tuæ magnæ Potestatis potes cogere & tormentare omnes culpabiles, & ratione tuæ ordinatæ Voluntatis vis punire omnia peccata.

20. Valde miror, *Domine*, de me ipso, quomodo potuerim timere iudicium hominum, qui injustè judicant transeuntes per plateas & per vias plús, quàm iudicium, quod Tu justè facies in die iudicii.

21. Ratio, quare est mirabile, quòd timuerim vituperationem gentium plús, quàm tuam Sententiam, est, *Domine*, quia gentes injustè judicant, & Tu justè iudicas, & iudicium gentium non est valde periculofum nec nocens, cùm leviter transeat, parum duret & parum damni inferat; sed tua Sententia, *Domine*, nunquam habebit finem, & in pœna, ad quam iudicabis peccatores, nunquam cessabunt graves dolores & labores.

22. h. Excellenter, *Domine* **DEVS**,
posita

posita est in suprema Dispositione & Ordinatione dies iudicii; quia eam ordinasti taliter, quòd in ea cognoscentur omnes gratiæ & amores, quos fecisti humano generi, & dis-amores & inobedientiæ, quas homines habuerint in hoc mundo erga Te, omnes cognoscentur.

23. Nam in die iudicii videbitur, *Domine*, quòd fueris incarnatus & flagellatus & venditus & mortuus pro amore nostri; & videbitur, quinam fuerint, qui propter Te dederint eleemosynas, & quinam fuerint mortui pro amore Tui; & in die iudicii videbitur, quinam fuerint ingrati tuo Amori & inobedientes tuis mandatis.

24. Unde Tu, *Domine*, dices in die iudicii hominibus ingratis: nudum me vidistis & non me cooperuistis, infirmum me vidistis, & me non visitastis, esurientem & sitientem me vidistis, & non invitastis me, vulneratum me vidistis, & vulnera mea non ligastis nec mundastis, mortuum me vidistis, & super meam Mortem non plorastis.

25. i. *Domine DEVS, qui edificas & construis omnia in suprema Ordinatione! Te laudo & benedico; quia ordinasti, quòd dies iudicii sit terminus, in quo segregentur boni à malis, & boni sint ad unam partem & mali ad aliam.*

26. Nam valde pulchrum erit, *Domine*, & bene ordinatum, quòd homines sancti sint separati à peccatoribus, & Gloria iustorum non possideatur inter injustos, nec poena injustorum sit ubi erit Gloria iustorum.

27. Dies iudicii erit ultimus terminus operationis naturæ; quia nec in animalibus, nec in vegetabilibus, nec in metallis erit generatio nec corruptio: unde benedictus sis, *Domine*, qui ordinasti, quòd natura usque ad illam diem debeat operari, & imposterum debeat cessare à sua operatione.

28. K. *Pie Domine, Plene Misericordiæ!* Quia dies iudicii est ordinata, Angeli & sancti Paradisi, qui sunt ordinati, desiderant illam diem, & vellent, quòd jam esset hodie.

29. Sed

29. Sed non est ita, *Domine*, de dæmonibus & peccatoribus, qui sunt in inferno; quoniam, quia sunt inordinati, vellent, quòd dies iudicii nunquam esset: unde benedictus sis Tu, qui facis illos, qui sunt ordinati, desiderare id, quod est ordinatum, & illos, qui sunt inordinati, odire id, quòd est ordinatum.

30. Tu, *Domine*, ordinasti, quòd dies iudicii sit quamprimùm completus erit numerus Sanctorum, qui possessuri sunt gloriam, quam dæmones perdiderunt: unde, ut iste numerus citiùs compleatur, placeat Tibi multiplicare in hoc mundo viam & modum, quo sint multi sancti & iusti homines continuò laudatores tuæ beatæ Essentiæ divinæ.

CAPUT LIX.

QUOMODO DEVS ORDINAVERIT alterum sæculum.

1. **O** *DEVS Pater Domine universorum,*
 a. *quæ sunt! Laudetur tuum Nomen*
 &

& tua Virtus & tua Sapientia, qui ordinasti alterum sæculum in hoc, quòd dederis cognitionem de tua magna Bonitate & Nobilitate in altero sæculo Angelis & dæmonibus & viris & fœminis; quia, ut cognoscatur tua Bonitas, totum alterum sæculum est ordinatum ad cognoscendum tuam Nobilitatem.

2. Unde, sicut est justum, quòd Tu, *Domine*, sis infinitus & æternus & omnipotens & sapiens & justus & misericors, ita est rationabile & justum, quòd in altero sæculo cognoscaris totus bonus & perfectus & completus Virtute.

3. Unde, secundùm quod convenit; quòd Tu, *Domine*, cognoscaris & ameris & lauderis in altero sæculo, ordinasti loca, in quibus habitent illi, quos infinite convenit cognoscere tuam Bonitatem.

4. b. *Domine fortis super omnes fortitudines!* Benedictus sis Tu, qui in altero sæculo posuisti paradisum, ut homines justi Te videant & ament & laudent & honorent & benedicant & Tibi gratias agant; &
be-

benedictus sis, qui in altero sæculo posuisti infernum, ut sit injustis locus, in quo tormententur pro suis gravibus culpis, & cognoscant tuam magnam Justitiam & suam gravem ingratitude.

5. Quia homines justi, *Domine*, erunt certificati in paradiso de tua Bonitate, semper sentient suum cor inamorum tuo amore; & quia memorabunt magnum Amorem, quem eis fecisti, non cessabunt Tibi gratias agere & Te benedicere; & quia cognoscent tuum Dominium, semper Tibi servient; & quia percipient tuam divinam Essentiam, semper Te laudabunt; & quia sentient in se ipsis gloriam, quam habebunt à tua præsentia, semper gaudebunt infinito gaudio.

6. Quamprimùm peccatores, *Domine*, erunt in inferno, & considerabunt se in tua absentia, statim pavebunt; & quando memorabunt, quòd perdiderint Te & cælestem gloriam, statim incipient plorare & irasci & tristari, & quando sentient poenam & dolorem, statim cadent in desperationem.

tionem de tua Gloria & de tua Misericordia, quia scient, quòd sua pœna erit sinè fine.

7. c. *Vere Domine, plene Pietate & Gratiâ* ! Benedictus sis Tu, qui ordinasti, quòd homines justi glorificentur in Paradiso per visum corporalem, quia voluisti esse Homo, ut in tua Gloria homines Te videant & glorificentur videndo Te.

8. *Liber Rex Gloria* ! Laudatus & amatus sis Tu, qui ordinasti, quòd in Paradiso homo glorificetur in tua Deitate visione oculorum spiritualium, quibus videris in Gloria.

9. Valde sapienter & rationabiliter ordinasti, *Domine*, Paradisum; nam, quia homo est duæ naturæ, scilicet natura corporalis & natura spiritualis; ideo voluisti ordinare, quòd homines beati glorificentur in Te in qualibet earum; quoniam in hoc, quòd sis Homo, glorificabuntur in Te per visum corporalem; & in hoc, quòd sis DEUS, glorificabuntur in Te per visum spirituale.

10. d.

10. d. *Domine humilis, Domine fortis, Domine misericors, Domine iuste!* Tibi cognoscatur omnis Sapientia & omnis Laus, qui ordinasti, quòd in altero sæculo alii habeant majorem gloriam, quàm alii, & alii majorem pœnam, quàm alii; quoniam Martyres possidebunt majorem gloriam, quàm Confessores, & Confessores majorem, quàm pueri; & majorem pœnam habebunt homines discredentes & ingrati, quàm ignorantés, & ignorantés majorem, quàm pueri.

11. Unde, cùm conveniat, *Domine*, quòd in altero sæculo alii habeant majorem gloriam, quàm alii; ideo ordinasti Choros Sanctorum, in quorum alio stabunt Angeli, & in alio Prophetæ, & in alio Martyres, in alio Confessores, in alio infantes; & secundùm quod erunt meliores, erunt propinquiore tuæ Præsentia.

12. Similis ordinatio, *Domine*, erit in inferno; quia illi, qui plus peccaverint, stabunt in profundiori loco inferni & remotiori à tua Præsentia, & qui minus peccaverint,

verint, stabunt in loco, in quo habebunt minorem pœnam: unde ibi erunt ordines, secundum quod erunt peccatores; quia superbi stabunt in uno loco, & homicidæ in alio, & discredentes in alio, & avari in alio, & proditores in alio, & mendaces in alio, & luxuriosi in alio, & gulosi in alio.

13. e. *O suprema Virtus & suprema Benedictio!* Sanctitas & Gloria sint Tibi, *Domine DEVS*, qui ordinasti, quod ordines hominum justorum & peccatorum sint subjecta, in quibus cognoscatur tua magna Bonitas & tua magna Misericordia & tua vera Justitia.

14. Qui sunt in Paradiso, *Domine*, sunt subjectum, in quo est tuus Amor & tua Gratia & tua Misericordia, & in quo sunt laudes & benedictiones & gratiæ & honores & reverentiæ, quæ fient Tibi sine fine; & qui sunt in inferno, sunt subjectum, in quo sunt desperationes & desolationes & blasphemias & ploratus & dolores & angustias & tormenta & cognitio tuæ magnæ Justitiæ & gravis culpæ sui ipsorum

15. *Cum Tu, Domine DEVS, sis æternus, convenit esse ordinatum, quòd tua Bonitas cognoscatur æternaliter ita, ut nunquam ignoretur; & quoniam oportet, Te perdurabiliter cognosci bonum, oportet, quòd existentes in Paradiso semper sint occupati in laudando & benedicendo & cognoscendo Te; & similiter oportet, quòd existentes in inferno semper sentiant pœnam, ut sinè fine cognoscant tuam Justitiam & suam culpam.*

16. f. *O Domine DEVS, Dator virtutum & omnium bonorum! Benedictus sis Tu, qui ordinasti, quòd Gloria Paradisi & pœna inferni sint valde magnæ.*

17. *Nam, in quantum est magna Gloria, quam Beati habent in Paradiso, & pœna, quam maledicti habent in inferno, in tantum videtur, Domine, magna in altero sæculo tua Bonitas & tua Nobilitas.*

18. *Unde, cum Tu, Domine, sis adeò nobilis & bonus Dominus, dignum & justum est in altero sæculo esse ordinatum, quòd*

quòd cognoscaris in magna Nobilitate & Virtute: igitur, cùm gloria & pœna alterius sæculi sit occasio, ut cognoscaris bonus, quis posset æstimare magnam Gloriam & magnam pœnam, quæ erit in eo?

19. g. *Cælestis Domine, Sancte Sanctorum & Domine Dominorum!* Tu ordinasti, quòd Gloria alterius sæculi sit inseparabilis, & non accidentalis, & similiter pœna ita, ut nunquam habeant finem nec cessationem.

20. Nam, sicut igni, *Domine*, est proprium habere calorem per naturam, & ignis non est finè calore; ita beatis paradisi erit proprium glorificari in Te, & maledictis inferni erit proprium habere perdurabiles pœnas.

21. Sicut Tu, *Domine DEVS*, posuisti ignem, ut sit subjectum caloris, ita posuisti homines in alio sæculo, ut sint subjectum, in quo cognoscatur tua Bonitas: igitur, cùm ipsi non possent esse subjectum ordinatum, si essent finè gloria vel pœna, ideo

ideo probatur, quòd gloria nullo tempore separabitur ab illis, qui erunt in paradiso, nec poëna ab illis, qui erunt in inferno.

22. h. Tibi, *Domine DEVS*, qui comprehendis & concludis omne, quod est, sint gloria & laus & gratiarum actiones; quia voluisti ordinare, quòd Paradisus sit in coelis, & infernus in abyſſo cordis terræ.

23. Ratio, quare voluisti, *Domine*, quòd Paradisus sit in superiori loco, & per omnes coelos sint loca Paradisi, est, ut sit magnum spatium & magna latitudo loci, in quo Beati habeant gloriam, & non sint constricti in parvo loco; & ratio, quare voluisti, quòd infernus sit in corde terræ, est, ut maledicti, qui in illo erunt, stent in infelici & misero & angusto loco.

24. Valde bene ordinasti omnia, *Domine*, & valde debes laudari & amari de omnibus, quæ fecisti; nam, quia homines boni renuntiant in hoc mundo rebus miseris & parum utilibus, & à Te petunt cœlestes beatitudines, in quibus est omne complementum; ideo das eis paradisum in
magnis

magnis & altis locis, & das eis magna dona; & quia homines mundani, *Domine*, petunt à Te in hoc mundo bona & delectationes hujus mundi, ideo das eis in altero sæculo loca misera & paucæ utilitatis & magni laboris: unde benedictus sis Tu, qui adeò bene hæc ordinasti.

25. i. Tibi, *Domine DEVS*, qui custodis & defendis Beatos à potestate diaboli, & liberas eos de malis persuasionibus diabolicis, sint amor & laus & cultus & servitium; quia ordinasti, quòd illi, qui erunt in paradiso, sint satiati in anima & corpore, & sint completi tuâ gratiâ; & illi, qui erunt in inferno, habeant omnem indigentiam & pœnam in corpore & anima.

26. Tu, *Domine*, ne corpus hominis justii habeat famem vel sitim vel calorem vel frigus in paradiso, ordinasti quatuor qualitates esse in eo temperatas ita, ut ipsum sit impassibile & incorruptibile; & ordinasti animam videre tuam Deitatem, ne præter illam visionem aliquid aliud desideret.

27. Tu, *Domine DEVS*, voluisti or-
X dinare

dinare in inferno esse quatuor qualitates inordinatas & intemperatas in corporibus peccatorum, ut habeant calorem & frigus & alias pestilentias; & voluisti animas ipsorum non videre tuam Deitatem, ne vivificentur & glorificentur, imò infinite contristantur & angustientur.


28. K. Sapientia & Virtus & perdurabilitas dentur & attribuantur Tibi, *Domine DEVS*, omni tempore, qui voluisti, quòd ordinatio, quam posuisti in altero sæculo, sit perdurabilis, & nunquam mutetur, nec corrumpatur, nec alteretur in se, nec in illis, qui in eo erunt.

29. Quando homo, *Domine*, erit in altero sæculo, non poterit exire nec deviare ab ordinatione ipsius; sed in hoc sæculo non est ita; quia, licet sit ordinatum à Te, tamen inordinamus nos ipsos, & eximus ab eo ratione brevis temporis, quo in illo sumus, & ratione miseræ, in qua sumus.

30. *O gloriose Rex Gloria!* Tuus servus filius tuæ ancillæ Te orat, & Te laudat,

dat, & Tibi gratias agit, & confitetur à
Te esse ordinata omnia; & totum alterum
sæculum esse ordinatum, ut æternaliter cog-
noscat tua magna Bonitas; & petit à
Te gratiam, ut, sicut eum adjuvisti
ad perficiendum istam Distinctio-
nem, ita eum adjuves ad perfi-
ciendum alias per Gra-
tiam tuæ sanctæ Essen-
tiæ divinæ.

DISTINC-



DISTINCTIO XII.

*QVOMODO DEVS RECREAVERIT
humanam naturam.*

CAPUT LX.

*QVOMODO PERTINEAT AD
nostrum Dominum DEVM secundum suam
Bonitatem esse Recreatorem.*

I.
a.



*DEVS gloriose, potens,
abundans omnibus bonis! Laus & Amor &
Benedictio cognoscantur Tibi & de Te; quia,
sicut pertinet ad tuam
Bonitatem habere Jus-*

*titiam & Potestatem & Sapientiam & Vir-
tutem & Sanctitatem, & creasse omnia; ita,
Domine, pertinet ad ipsam secundum suam
dignitatem recreasse humanum genus; quo-
niam Recreatio est id, quod sanat & munda-
dat*

dat & purificat infirmos peccatores ab im-
munditiis & miseriis & culpis & passioni-
bus.

2. *Domine DEVS* ! Sicut est conve-
niens tuæ Deitati ratione suæ Excellentia
& Nobilitatis ipsam esse nostram Recrea-
tionem, ita ratione magnæ miseriæ & mag-
næ fragilitatis, in qua est nostra natura, est
nobis necessarium esse recreatos à tua ex-
cellenti Bonitate.

3. Sicut Creatio, *Domine*, est subjec-
tum, in quo cognoscitur Nobilitas & Vir-
tus tuæ Bonitatis, ita voluisti recreare ho-
minem, ut Recreatio sit subjectum, in quo
demonstretur Altitudo & Dignitas ip-
sius.

4. b. *Domine firme, vere, durabilis* ! Do-
num, quod dedisti homini, quando eum
creasti & dedisti ei *esse*, est valde magnum
& mirabile & nobile donum; sed multo ma-
jus est donum, quod ei dedisti, quando eum
recreasti & mundasti à peccato.

5. Ratio, quare Recreatio, *Domine*, est
majus donum, quàm Creatio, est, quia ho-
mo,

mo, antequam esset in *esse*, non erat dignus gloriâ nec pœnâ ; & , postquam fuit in *esse* & cecidit in peccatum , fuit indignus gloriâ & dignus pœnâ ratione culpæ, in quam cecidit.

6. Unde recepit homo, *Domine*, majorem gratiam à Te per Recreationem, quàm recepisset per Creationem; quia per Recreationem dedisti & remisisti & mundasti eum, qui erat indignus hoc recipere, & per creationem non fecisti aliud, quàm dare *esse* ei, qui non erat indignus: igitur secundum hoc sequitur, quòd, si fuisti visus bonus per Creationem , visus fueris melior per Recreationem.

7. c. *Magne Domine, super omnes magnitudines magne; sapiens Domine, super omnes sapientias sapiens !* Nulla res est, quæ posset lavare & delere ab homine magnam culpam , in quam cecidit humana natura per peccatum , nisi , qui creavit hominem in meliori dignitate & dispositione , quàm ullam aliarum rerum; quia , si homo per peccatum cecidit in majorem vilitatem & deteriore

teriore dispositionem, quàm ulla creatura, oportuit, quòd ille, qui elevavit eum ab inferiori loco & à deteriori conditione, haberet potestatem, quâ posset illum reducere in gradum & dignitatem, in quam elevaverat illum ante peccatum.

8. Unde, sicut nulla alia res sufficeret ad creandum hominem, nisi tua Deitas, ita oportuit, quòd ipsa recrearet humanam naturam; quia, sicut per Deitatem fuit creata natura humanitatis, ita oportuit, quòd per ipsam mundaretur & reduceretur ad pristinam Nobilitatem & Bonitatem.

9. Unde benedictus sis, *Domine DEVS*; quia adeò bonus es super omnes bonitates, & adeò inferiora sunt tuæ Bonitati omnia, quòd non sit Angelus nec homo nec dæmon nec ulla alia creatura, quæ posset sufficere ad recreandum hominem, nisi Tu tantum.

10. d. Lætetur omnes & consolemur & confidamus in tua alta Bonitate, *Domine DEVS*; quia, sicut ad naturam tuæ magnæ

næ

næ Potestatis & tuæ Gratia & tuæ Dignitatis & tuæ magnæ Justitiæ pertinebat creare hominem; ita ad naturam tuæ magnæ Pietatis & tuæ magnæ Charitatis & tuæ magnæ Misericordiæ conveniebat recreare ipsum à peccato originali.

11. Unde laudetur & benedicatur, *Domine*, talis Dominus, qualis es Tu, qui es adeò nobilis & honoratus & virtuofus; quia, secundùm quod pertinet ad tuam Bonitatem, convenit, quòd ipsa per naturam Justitiæ creaverit hominem, ut ei serviat, & per naturam Misericordiæ recreaverit ipsum, ut eam laudet, & fit ei gratus.

12. Si tua Bonitas, *Domine DEVS*, creasset hominem, & non recreasset ipsum, non significaretur ipsam esse adeò magnam, cum ipsa significetur valde magna per hoc, quòd voluerit recreare hominem.

13. e. *JESU Christe Domine*! Sicut lignum accensum non caufat, quòd ignis ipsum calefaciat, quia ignis non habet calorem à ligno, sed à se ipso; ita Humanitas, quæ est in Te, per se ipsam finè conjunctive

tionem Deitatis non posset sufficere ad recreandum humanam naturam.

14. Sicut pulchrum palatium vel pulchrum castellum, *Domine*, oportet, quòd fiat & construatur ex pulchris lapidibus & pulchris lignis & ex aliis pulchritudinibus; ita oportuit, quòd tua Humanitas esset perfecta & completa & ornata per perfectionem & nobilitatem Deitatis, quæ perfectio & pulchritudo non posset esse in tua Humanitate, quin esset conjuncta cum Deitate.

15. Valde miror, *Domine*, de Geometris & Astrologis quomodo possint totum suum tempus consumere in computando mensuras terrarum, & in computando cursum planetarum & signorum & aliarum rerum vanarum, & non computent magnitudinem cujuslibet Virtutum, quæ sunt in Te, nec magnam multitudinem earum.

16. f. *Liberális Domine, virtuosè!* Secundum quod vulnus fuit in homine magnum & profundum per peccatum originale, oportet

opor-

oportuit esse magnam & nobilem medicinam, per quam oportuit illud vulnus curari: igitur, cum peccatum originale sit vulnus, à quo derivantur in homine omnia peccata, oportuit, quòd ab illo, qui nos recreavit à peccato originali, derivarentur omnia unguenta & omnes sanitates & omnes medicinæ.

17. Si unguentum, quo oportuit ungi & sanari vulnus peccati originalis, non esset, *Domine*, majoris fortitudinis & majoris quantitatis virtutis, quàm vulnus, non posset curare illud: igitur propterea oportuit Te incarnari, & sanare illud vulnus tuo sanguine, qui est fortior & nobilior in virtute, quàm infirmitas vulneris fuerit mala & magna in culpa.

18. Cum *Recreator, Domine*, sit tam altæ & nobilis naturæ, conveniens esset, homines recreatos esse valde virtuosos & magnæ nobilitatis, & amatores & honoratores & servitores sui Domini & sui Salvatoris & Recreatoris.

19. g. *O beate Domine, Lumen luminum*

& Splendor splendorum! Tibi fit Laus & Cultus & Servitium omni tempore, quia recreasti humanum genus tuo pretioso Sanguine, ut tuum gratiosum Corpus sit norma & exemplum omnibus beatis ad figurandum & formandum in se ipsis multitudinem amoris & fervoris & devotionis ad sustinendum multos ploratus & dolores pro suo Creatore.

20. *JESU Christe Domine!* Tu voluisti lanceâ transfigi per Latus, & voluisti, quòd lancea profundaretur, donec divideret tuum Cor per medium; & totum hoc voluisti, ut, sicut ferrum lanceæ intravit in profundiore locum tui Cordis, ita per illum ictum extraheretur gravius & profundius peccatum ab humana natura.

21. Sicut arbor, *Domine*, quæ est onerata & plena pulchris & bonis fructibus, ita, quando tuum benedictum Corpus pendebat in Cruce ad recreandum hominem, fuit tota Crux onerata valde pulchris & nobilibus fructibus; quia tota fuit plena & onerata Amore & Misericordiâ & Pietate & Justitiâ

Justitiâ & Gratiâ & Humilitate & Patientiâ.

22. h. *Essentialis Domine, perdurabilis in æternum!* Sicut Tu venisti ad recreandum hominem præ magna abundantia Bonitatis & Amoris & Virtutis; ita nos præ magno defectu amoris & devotionis & gratitudinis non movemus nec exponimus nos ad moriendum pro amore Tui.

23. *Amorose Domine, plene Gratiâ!* Nemo posset æstimare magnam ingratitude, quæ est in homine; quia videmus asinam, quæ est bestia, se exponere loco periculoso, si videat suum pullum se illi exposuisse, & nos, qui sumus homines, videmus Te esse suspensum in Cruce ad recreandum nos, & non video homines, qui ad dandum laudes de Te, velint ascendere in crucem & mori.

24. *Estne, Domine, aliqua mirabilitas vel infania, quæ cum ista sit comparabilis, quòd bestia, quæ est sinè intellectu & ratione, habeat majorem amorem ad bestiam sibi similem, quam homo, qui habet intellectam*

lectum & rationem, & non amat suum Creatorem & Redemptorem adeò, quòd propter ipsum se velit tradere morti?

25. i. *O Rex gloriose, in quo est suprema Sapientia!* Sicut per motum molæ granum atteritur & decurrit in minutam farinam; ita, quoties ante meos oculos sit signum Crucis, deberent mei oculi decurrere in minutas lacrymas.

26. Et sicut molendinum, *Domine*, conterit frumentum eundo in circulum; precor Te, ut facias ire meam mentem & meam memoriam circa tuam Nobilitatem & tuam Passionem, ut mei oculi emittant ploratus, & meum os suspiria.

27. Longo tempore, *Domine*, mei oculi non ploraverunt, nec meum cor amavit, nec meum os adoravit nec oravit, quia in meo corde non fuit memoria magnæ Passionis, quam recreando nos sustinuisti.

28. K. *Humilis Domine, patiens!* Videtur mihi, omnes graves labores & dolores, quos sustinuisti ad recreandum humanam naturam, esse fere positos in oblivione, & negari

negari

negari coram illis, qui minantur mortem temporalem, & videtur mihi, res vanas & parvæ utilitatis memorari & timeri & regretiari.

29. *O Domine!* Quàm gravis dolor est paratus hominibus, qui sunt ingrati & immemores gratiæ, quam eis fecisti recreando ipsos? quia multò melius eis esset non esse creatos, quàm esse recreatos, & postea perire per opera peccatorum.

30. Tuus servus & tuus subditus, *Domine DEVS*, Te invocat & Te orat & precatur, ut, quoniam ei fecisti tantam gratiam, quòd eum volueris recreare à peccato originali, ei des gratiam honorandi & amandi & laudandi Te, & serviendi Tibi; & sicut non es oblitus recreare ipsum, ita non obliviscaris eum respicere oculis tuæ Misericordiæ divinæ.

CAPUT

QVOMODO PER INCARNATIONEM
divinam fuerit deletum peccatum
originale.

1. **D**ivine Domine patiens ! Laus & Honor & Gloria & Virtus cognoscantur & dentur Tibi & de Te, qui elevasti humanam naturam à magna vilitate & miseria, in quam cecidit ratione peccati Adami ; & tuâ pretiosâ Carne & effusione tui benedicti Sanguinis reduxisti eam in supremum gradum, in quo eam posueras, quando eam creasti.

2. Adeò magnam exaltationem & honorationem accepit, *Domine*, nostra natura, quando Te incarnasti, quòd grave vinculum peccati inde sit dissolutum & dirruptum ita, quòd dæmon non habeat illud dominium, quod in nobis habebat, antequam esses incarnatus.

3. Tua Deitas, *Domine*, est adeò nobilis res & adeò magnæ Sanctitatis, quòd
opor-

oportuerit humanam naturam, in qua se incarnavit, esse purificatam & sanatam & sine omni peccato & culpa; quia per magnam convenientiam unionis, quæ fuit facta inter Naturam divinam & humanam, oportuit, quòd in humana natura non esset aliquid vitiosum, quoniam conjungebatur cum Deitate, in qua est perfectio omnis Virtutis & Bonitatis.

4. b. *Singularis Domine sine pari & sine socio!* Sicut tua Deitas est potens de non esse facere devenire rem in esse, ita est potens mundare & purificare per recreationem humanam naturam.

5. *Vere Domine!* Sicut res carens esse non potest Tibi resistere in aliqua re, quam velis creare & facere; sic nulla res habens esse, potest resistere ulli rei, quam velis de ea ordinare & facere.

6. Nam, sicut parva gutta aquæ deletur & consumitur, quamprimum cadit in magnum ignem; ita, *Domine*, tua Deitas est tam magnæ Virtutis, quòd omne peccatum oportuerit deleri & mundari in Hu-

manitate, in qua sancta Persona Filii fuit incarnata.

7. c. *O suavis Domine, pie, Vita & Confortatio beatorum!* Si natura hominis est remota in natura & nobilitate & bonitate à natura tuæ Deitatis; Tu, *Domine*, adeò accessisti ad ipsam, quòd volueris Te conjungere cum ea.

8. Si humana natura, *Domine*, habuisset potestatem elongandi se à Te, & fugiendi, ne Te incarnares in ea, certè hoc fecisset ratione suæ fragilitatis & miseriæ, sed tua Natura divina, quæ est fons omnium bonorum, & fortitudo super omnes fortitudines, appropinquavit sibi humanam naturam, & eam sibi univit incarnando se in ea, ut per istam conjunctionem eam recrearet.

9. Nisi Tu, *Domine*, accessisses ad humanam naturam, ipsa non accessisset ad Te; & nisi Te incarnasses in ea, ipsa non esset recreata; &, nisi esset recreata, omnitempore esset privata illâ honorificentia & nobilitate, in quam eam exaltasti, quando

Y

eam

eam creasti.

10. d. *Sanctissime Domine sine ullo defectu!* Amor est in se adeò nobilis & bonares, quòd res graves ad faciendum & tractandum nobis alleviet, & nos faciat faciliter perficere res, quæ sunt gravis laboris: igitur, cum nobis tantò majus adjutorium det amor, quantò plus amor, qui fuit inter tuam Deitatem & Humanitatem, fuit causa deletionis omnis peccati in natura humana ratione conjunctionis, quam fecit cum Deitate?

11. Si humana natura, quam Tu, *Domine*, assumpsisti, non fuisset purificata & mundata à peccato originali ratione conjunctionis cum divina Natura, quid esset, quod posset recreare totum humanum genus?

12. Benedicta sit, *Domine*, Nobilitas & Bonitas tuæ divinæ Essentiæ; quia est adeò abundans omnibus bonis, quòd sit sufficiens ad recreandum naturam, in qua se incarnavit; & sit potens recreare omnem hominem, qui acceperit baptismum in vera

fide,

fide, & sit obediens tuis valde rationabilibus mandatis.

13. e. *O Rex gloriose, amabilis, amorose!* Sicut humana natura habuit plus mali & damni per peccatum originale, quam ulla alia res; ita habuit, *Domine*, plus boni & utilitatis per Incarnationem, quam fecisti in ea.

14. Totum damnum & infortunium, quod acciderat homini per peccatum Adami, est restauratum, *Domine*, per sanctam Incarnationem, quam suscepisti in nostra Domina sancta MARIA.

15. Per tuam benedictam Incarnationem, *Domine*, fuit natura humana in majori honorificentia & nobilitate, quam fuerit per peccatum originale in vilitate & miseria & culpa; quoniam plus est humano generi, hominem esse unitum cum divina Essentia, quam fuerit hominem esse inobedientem suo divino Domino, quamvis hæc sit magna & gravis culpa.

16. f. *O sancta Lux, splendor & directio Catholicorum!* Sicut per naturam quædam
cor-

corpora mutantur de una qualitate in aliam, secundum quod qualitates habent in illis majorem vel minorem potestatem, ita, *Domine*, per divinam conjunctionem tuæ Deitatis cum Humanitate fuit recreata humana natura, & fuit deletum omne peccatum in ea, & fuit sanata & mundata in ipsa omnis infirmitas peccati.

17. Si bonus furculus, *Domine*, qui est insertus in mala arbore, habet virtutem & proprietatem alterandi fructum in bonam & dulcem naturam, igitur quantò plus sancta Essentia divina purificat & mundat naturam humanam à peccato ratione conjunctionis, quam fecit cum ipsa?

18. Cùm sol habeat, *Domine*, tam magnam claritatem & tam magnum calorem, quòd consumat fumositatem & grossitiam aeris, & nebulam, quæ corrumpit aerem super faciem terræ, quantò plus ille Dominus, qui est Creator solis, habuit potestatem auferendi & mundandi peccatum humani generis ratione Incarnationis, quam fecit in humana natura?

19. g. *Domine alte, Domine magne, Domine bone* ! Sicut Tu nobilitasti & honorasti & magnificasti Humanitatem, quam assumpsisti in individuitate, quia eam conjunxisti cum Deitate, ita honorasti omnia individua humana cum individuitate Humanitatis, quam assumpsisti, quia voluisti, quòd quilibet homo esset de genere carnis & sanguinis, de quo fuit caro & sanguis tuæ Humanitatis.

20. Sicut tua Humanitas, *Domine*, fuit honorata & exaltata, quia ipsa habens principium & terminum, fuit conjuncta cum re non habente principium nec terminum; ita tota natura humana fuit honorata & nobilitata, quia tua Humanitas voluit pro nobis plorare & laborare & mori.

21. Igitur ameris & lauderis & benedicaris & honoreris, *Domine DEVS*; qui tuâ Infinitate & Æternitate, & Perfectiōne Potestatis & Sapientiæ & Virtutum exaltasti & honorasti tuam Humanitatem, & tuâ Humanitate exaltasti totum humanum

num

342 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
ntim genus.

22. h. *Divine Domine, durabilis in perpetuum!* Cúm per Incarnationem & Passionem deleveris peccatum originale, peto à Te gratiam, ut per tuam Misericordiam velis consumere & delere omnia nostra peccata & omnes nostras culpas.

23. Cúm Tu, *Domine*, sanaveris & mundaveris tot homines à peccato Adami, rogo Te, ut velis habere multos nuntios, qui portent per omnes terras notitias de ista purificatione & restauratione, quæ est facta hominibus ratione tuæ Incarnationis.

24. *JESU Christe Domine!* Per defectum nuntiorum sunt multæ terræ, in quibus non denuntiatur nec prædicatur magna exaltatio & restauratio, quam accepimus per tuam sanctam Incarnationem: igitur, quoniam per Incarnationem adeò honorasti tuam Humanitatem, rogo Te, ut eam honores in tantum, quòd per omnes terras facias ipsam amari & laudari & honorari & benedici.

25. i. *O Domine misericors, confortatio & consolatio nostra!* Tibi cognoscatur omnis Virtus & Nobilitas & Bonitas, & mihi omnis culpa & defectus & avaritia; quia per tuam magnam Misericordiam fecisti sacrificium de tua sancta Humanitate ad restaurandum humanum genus, & ego per meam avaritiam de micis mensæ, quæ mihi supersunt, non scio dare pauperibus pro amore Tui petentibus.

26. Estne, *Domine*, aliquid adeò mirabile & peregrinum sicut hoc, quòd de-deris Te ipsum ad mortem pro amore nostri, & nos non velimus dare pro amore Tui nostris proximis illas res, quæ nobis supersunt, & quibus non indigemus?

27. *O JESU Christe Domine!* Cùm Tu feceris tot & tanta pro amore tui servi, & tuus servus tam parum fecerit pro amore Tui, quid faciet, & quodnam consilium capiet? in veritate non scio aliud consilium capere, quàm Tibi dare & attribuere omnem Nobilitatem & Honorationem & omne bonum, & mihi omnem vililitatem

344 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
littatem & ingratitude & infaniam.

28. K. *Domine desiderate, Domine amate, Domine honorate!* Si Tu recreasti humanum genus in sancta Cruce, etiam valde obligasti totum humanum genus magno amore, quem habuisti erga ipsum.

29. Adeò sumus, *Domine*, omnes obligati à magna Passione & à gravi labore & angustiosa Morte, quam sustinuisti pro nobis, quòd nec cor nec os posset perpendere nec cogitare nec loqui magnam laudem & magnas gratias, quas quilibet homo Tibi tenetur facere.

30. Cùm Tu, *Domine*, tuum servum & tuum mancipium alleviaveris à peccato originali in sancta Cruce, & eum obligaveris ad amandum & honorandum Te, & ad serviendum Tibi; rogo Te, ut eum in amores & esurire facias & sustinere famem & sitim & angustias & labores & mortem pro amore sui Domini divinalis.

CAPUT

CAPUT LXII.

QVOMODO HVMANVM GENUS fuerit recreatum per sanctam Passionem JESV Christi.

1. **O** *DEVS gloriose!* Tibi sint laudes & gratiæ, qui voluisti recreare humanum genus sustinendo paupertatem & famem & sitim & calorem & frigus.

2. Tu, *Domine*, plorasti & lacrimasti & suspirasti & sudasti & angustiatus fuisti, ut recrearemur; & Tibi fuerunt factæ minæ & inhonorationes & ludibria, quando nos recreabas.

3. Ut humanum genus recrearetur voluisti, *Domine*, sustinere multa tormenta & multos labores; & voluisti vulnerari & ligari & crucifigi & mori: unde benedictus sis, quia Tibi placuit perferre tot labores & mala pro amore nostri.

4. b. *O Domine honorate, sapiens, pie!* Sicut lux lucernæ non est de re quæ sit extra, sed de re, quæ est intra lucernam, ita re-

re-

recreatio humani generis non est de ulla alia re, quæ sit extra tuos ploratus & dolores, sed est de tormentis & vulneribus & contemptibus factis tuo benedicto Corpori.

5. Sicut lucerna ardens est tota plena luce & splendore intra se ipsam, ita, *Domine*, tuum benedictum Corpus fuit totum plenum doloribus & angustiis & contemptibus & morte, quando nos recreasti in sancta Cruce.

6. *JESU Christe Domine!* Sicut Tu voluisti recreare humanum genus ploribus, angustiis, doloribus, flagellationibus, inhonorationibus, contemptibus, illusionibus, vulneribus & morte; ita est conveniens, quòd homines, qui per talia sunt recreati, similibus rebus ament & honorent & laudent & benedicant in hoc mundo suum Salvatorem & suum Dominum & suum Recreatorem.

7. c. *O vere Domine, directio & restauratio nostra!* Benedictus sis Tu, quia scis, quòd facilius sit nobis dicere, quòd simus

pro

pro amore tui pauperes & illusi & tormentati & mortui, quàm sit facile talia sustinere.

8. *Amorose Domine* ! Benedictus sis Tu, cui ita facile fuit sustinere omnes dolores & amaritudines, sicut dicere; quia adeò magnus fuit amor, quem habuisti erga nos in die mortis, quòd dicere & sustinere Tibi fuerit æquè dulce & placidum & amorosum & sapidum.

9. Quia oportuit, *Domine*, per tuam sanctam Passionem multos homines recreari, oportuit tuum Corpus tolerare multas pœnas & angustias & labores; & oportuit ignominias, quæ Tibi fuerunt dictæ & factæ, esse multas, & mortem, quâ mortuus es, esse valde angustiosam; quia, sicut per tuam Mortem multi homines debebant recreari, ita oportuit in tua Morte esse multa tormenta.

10. d. *Æterne Domine, siné principio, & siné omni fine* ! Sicut in Adamo fuit corrupta & debilitata humana natura per concupiscentiam delectationum temporalium;

ita

ita secundum rationem oportuit, quod ipsa in tuo beato Corpore recrearetur per sustentiam tormentorum & angustiarum & laborum.

11. *JESU Christe Domine!* Tu voluisti venire ad recreandum humanum genus, & non voluisti, quod alius ipsum recrearet, & hoc voluisti, ut demonstrares, quod, sicut fuit conveniens à tua Deitate hominem creari, ita fuerit conveniens ipsum recreari à Te, qui es unitus ex Deitate & Humanitate.

12. In gravibus doloribus & in magnis laboribus & in multis angustiis, quas portasti pro amore nostri, manifestatur, *Domine*, nostram recreationem fuisse Tibi valde amabilem, & nobis valde magnæ necessitatis; quia quò majora & plura fuerunt tua tormenta, eò plus fuit amata à Te nostra Recreatio, & eò plus videtur esse nobis proficua.

13. e. *O amorose, O virtuose, O misericors Domine!* Sicut totus mundus fuit corruptus per corruptionem hominis, ita oportuit

tuit Recreatorem mundi, esse DEUM & Hominem; quia mundus non potuisset recreari per alium, qui non esset DEUS & Homo.

14. Ratio, quare oportuit, *Domine*, Recreatorem esse DEUM, est, quia creatura non posset habere per se ipsam tantum virtutis & dignitatis, quòd posset sufficere ad recreandum mundum; quoniam, sicut nulla res est sufficiens ad habendum dignitatem creandi mundum, nisi tua Deitas; ita nulla est sufficiens ad recreandum ipsum, nisi illa.

15. Ratio, quare oportuit, *Domine*, Recreatorem esse hominem, est, quia oportuit mundum recreari laboribus & doloribus & morte: igitur, cum istæ res non possent esse in tua Deitate, oportuit ipsam uniri cum Humanitate, in qua ipsæ possent esse: unde benedictus sis, *Domine DEVS*; quia, si tua Deitas non fuisset unita cum Humanitate, tua Humanitas non potuisset perferre omnem laborem, quem oportuit perferri in humana natura, quæ nos
re-

recreavit, quem potuit sustinere & perferre per conjunctionem tuæ Essentiæ divinæ.

16. f. *Honorabilis Domine, pie, virtuose!* Sicut granum frumenti non potest renovari nec multiplicari, quousque in terra computruerit & transmutatum fuerit de sua forma, & mortificatum fuerit; & post ista crescit & fructificat & renovatur; ita voluisti, quòd tuum beatum Corpus mortificaretur & tormentaretur & moretetur, ut nobis adferret novum fructum & multitudinem perdurabilis gloriæ.

17. Non est ullus homo, *Domine*, qui posset æstimare fructum & multiplicationem gratiæ proveniente à mortificatione tui Corporis; quia per tuam Passionem non solùm fuit restauratum humanum genus, sed etiam omnia quæcunque in hoc mundo sunt creata.

18. Nam, si homo, *Domine*, non esset recreatus, omnia, quæ sunt facta ad serviendum ipsi, essent inordinata: igitur per ordinationem, in quam homo reversus est

per

per Recreationem, fuerunt reversa in ordinationem ea, quæ sunt subjecta ad servitium ipsius.

19. g. *Liberalis Domine, magne super omnes magnitudines!* Sicut bonus eques in prælio per suam audaciam & generositatem sustinet multos ictus & multa vulnera; ita, quia tuum Corpus debuit portare adeò magnum peccatum sicut peccatum Adami, & debuit illud delere, oportuit, quòd valde tribularetur & torqueretur & affligeretur & vulneraretur.

20. Tuum benignum Corpus, *Domine*, non solùm fuit tribulatum & crucifixum in hoc mundo propter peccatum Adami, sed etiam propter alia peccata & utilitatem omnium hominum descendentium ab ipso; quia, ut omnes sumeremus exemplum in amando & honorando Te & in serviendo Tibi, voluisti, quòd tuum Corpus tribularetur & moreretur pro amore nostri.

21. Tuum Corpus, *Domine*, non solùm fuit tormentatum ab illis, qui illud flagellabant & crucifigebant & colaphizabant,

bant,

bant, sed etiam ab illis, qui illud subsannabant & contemnebant, & qui non habebant erga Te gratitudinem pro magno amore, quem erga eos habebas; quoniam de majoribus laboribus, quos homo possit habere in hoc mundo, est, quando ei non habetur gratitudo nec remuneratio pro bono, quod facit illis, qui bonum discognoscunt & reprehendunt & irrident.

22. h. *O Domine, honorabilis, qui audis voces desolatorum & oppressorum!* Benedictus sis Tu, & omne, quod tuum est; quia sicut mortificasti tuum Corpus, ut viveremus, ita nos mortificamus nostram carnem quotidie, ne anima moriatur in peccato.

23. Sicut amor, *Domine*, fecit mortuum tuum Corpus, ita quilibet homo adeò amat se ipsum, quòd præ magno pavore mortis conetur in quantum possit vivificare suum corpus; & adeò magnam diligentiam habemus vivificandi ipsum, quòd inde mortificemus animam in peccato.

24. *Cum* amor, *Domine*, fuerit tuo

Cor-

Corpori causa, quòd moreretur ; & amor, quem habemus ad nos ipsos, sit causa, quòd vivificetur nostrum corpus; quando erit illa dies , in qua mutetur nostrum desiderium ita , quòd , si nunc desideramus vivere ad possidendum bona temporalia, tunc desideremus mori ad laudandum & honorandum Te ?

25. i. *Æterne Domine , gloriose !* Si homo, qui non scit, quid sit malum & dolor & labor & mors, vult scire, quid sint, eat stare ante Crucem, & respiciat in eam, quia ibi poterit invenire & cognoscere omnia mala & omnes angustias & dolores, quos homo potest habere in hoc mundo.

26. Si est ullus homo, *Domine*, qui perdiderit amorem & patientiam & legalitatem & devotionem & spem & humilitatem & continentiam & justitiam & misericordiam & veritatem, eat ad Crucem, & contempletur in ea; quia omnes istas virtutes & adhuc plures ibi inveniet.

27. Si illi, qui non respiciunt in Cru-

Z

cem,

cem, nec memorant, nec percipiunt id, quod Crux significat, non sciunt, *Domine*, quid sit malum & dolor & labor, non est mirum; & si illi, qui perdididerunt virtutes, non quærunt illas in Cruce, non est mirum, si eas non inveniant, quia non quærunt eas, ubi sunt.

28. *O Domine DEVS, Adimpletor omnium tuarum promissionum!* Tu, qui adeò ordinasti & honorasti Lignum sanctæ Crucis, quando in eo recreasti humanum genus; utinam velles ornare & honorare amore cor tui subditi ita, ut à magna Passione, quam habuisti, adeò inflammaretur eam memorando, quòd ori daret suspiria & oculis lacrymas.

29. *JESU Christe Domine, qui in sancta Cruce nos recreasti sustinendo magnos dolores & perferendo gravem mortem!* Utinam nunc, quando es in supremo cœlo, velles respicere hoc sæculum tenebrosum tuis benedictis oculis misericordibus, ut mundaremur & purificaremur à gravibus peccatis & à magnis culpis.



30. O Domine DEVS! Devotè & valde magnâ lætitiâ genuflectit tuus servus ante tuum benedictum Altare, & elevat suos oculos & suas manus versús Crucem, & agit Tibi gratias, quia ei dedisti gratiam perficiendi istam distinctionem, & sperat in tuo Adjutorio perficere alias ad Gloriam & Laudem sui Domini
DEI.

DISTINC-



DISTINCT. XIII.

DE VOLVNTATE DIVINA.

CAPUT LXIII.

QVOMODO OMNIA BONA
sint volita á Voluntate divina.

I.
a.



*EV*S pie, misericors, Ex-
auditor illorum, qui ad
Te clamant! Tibi sint
Gloria & Gratia, qui
in hoc mundo divisisti
omnia bona in duas par-
tes: supremum & pri-

mum bonum est, *Domine*, tua beata *Essen-
tia*, & omnia, quæ pertinent ad tuam Ho-
norificentiam & ad tuam magnam Nobili-
tatem; inferius & secundum bonum est nos-
trum *esse*, & omnia, quæ sunt ad utilita-
tem & meliorationem ipsius.

2. *Honorabilis Domine!* Supremo Bono
voluisti

voluisti appropriare laudem & amorem & reverentiam & honorem & gratias; quia conveniens est, quòd omnia ista fiant tuæ supremæ Bonitati.

3. Tu, *Domine*, voluisti, quòd homines Te adorent, & Tibi supplicent, & Te ament, & Tibi obediant, & Te timeant; quia es Amator nostri boni & nostræ gloriæ; quoniam per amare & honorare & benedicere Te, & servire & obedire Tibi evenit hominibus gloria & beatitudo.

4. b. *Sapiens Domine, Scitor omnium rerum* ! Sicut Tu es suprema Bonitas, ita convenit, quòd plus velis supremum bonum, quàm inferius: igitur illud bonum, quod ordinatè est volitum primâ intentione, debet esse plus volitum, quàm illud, quod est volitum secundâ intentione, quia est melius.

5. Cùm bonum, quod nos possidemus, *Domine*, sit inferius, & bonum, quod est in Te, sit supremum, non est dignum, quòd nostrum bonum sit ad eò volitum in tua Voluntate, sicut tuum.

6. Cùm

6. Cúm nostrum bonum, *Domine*, non pertingat ad tuum, & sit sub tuo bono; nostrum debet servire & subdi tuo; & propterea sequitur, quòd tuum bonum debeamus amare primâ intentione, & nostrum secundâ.

7. c. *O Domine DEVS, qui visitas tuos cordiales amicos!* Dominium & Honor cognoscantur Tibi; quia, sicut tuum bonum per Æternitatem antecedit nostrum, quod habet principium; ita convenit, quòd multò plús ametur & cognoscatur tuum bonum Tibi, quàm nostrum nobis.

8. Nam, quia humanum bonum, *Domine*, est principiatum & terminatum & alterabile & subditum, non habet dignitatem, ratione cujus suum *esse* debeat tantum amari, quantum *esse* divini Boni, quod non habet principium nec finem nec ullam alterationem, & habet actionem & dominium super omnia alia bona.

9. Cúm tuum bonum, *Domine*, possideat nostrum, & habeat actionem super ipsum; propterea, quidquid voluisti creare, voluisti

voluisti creare plús ad honorem tui boni, quàm ad utilitatem creaturarum: igitur, propterea omne nostrum bonum eò plús multiplicatur & melioratur, quò plús habemus majorem amorem & damus majorem honorificentiam tuo bono & tuis nobilitatibus, quàm rebus, quæ sunt ad nostram honorationem & laudem; quoniam Tu & tuum bonum es unum & idem.

10. d. *JESU* *Christe Domine*, qui *recreasti humanum genus*: Ametur & laudetur tua Voluntas; nam, quia es perfectus finè ullo defectu, convenit, quòd à tua Voluntate ametur omne bonum & omnis virtus & omnis beatitudo; quoniam, quidquid est dignum amari à tua Voluntate, convenit amari ab ipsa, & nihil indignum amari à tua Voluntate convenit amari ab ipsa.

11. Laus & Gloria sint, *Domine*, tuæ Voluntati, quia ratione magnæ Bonitatis, quæ est in Te, convenit esse ei proprium amare, quòd sint in *esse* omnia quæcunque sint ad laudem tui benedicti *Esse*.

12. Cúm

12. Cum tua Voluntas, Domine DEUS, sit perfecta sine ullo defectu, convenit, quod velit res carentes esse venire in esse, dum earum esse sit ad Nobilitatem tui Esse; & res carentes esse manere in non esse, dum suum esse non sit ad Nobilitatem tui Esse.

13. e. O Domine grate super omnes gratitudines, & amabilis super omnes amores! Tuam Voluntatem convenit amari & honorari & timeri & sibi serviri; quia omnia quaecunque bona fiunt ab Angelis & hominibus, fiunt ratione ipsius; quoniam, nisi essent volita à Te, non possent fieri.

14. Propter omnia bona, quæ faciunt pluviam & venti & calores & frigora in terra debemus esse grati tuæ Voluntati, Domine; quoniam nullum eorum posset fieri, quin esset volitum à Te.

15. Glorioso Domine! Propter omnia bona beatorum, quæ cognoscuntur per poenam damnatorum, debemus esse grati tuæ Voluntati; quia ipsa vult damnare illos, qui sunt digni damnatione, ut in eorum poena

cognoscatur gloria justorum.

16. f. *Excellentis Domine, amorose!* Tibi sit Gloria & Honor; quia, nisi tua Voluntas vellet, quòd peccatores torquerentur in inferno pro suis culpis, ipsa non esset perfecta Voluntas, quia deficeret in volendo, quòd Gloria justorum cognoscere-
tur in paradiso.

17. Cùm in tua Voluntate, *Domine*, non sit natura nec proprietas, de qua ei veniat amare malum culpæ, nec sit in ea amare ullum defectum, convenit, quòd omne id sit amatum à Te, ex quo sequitur bonum & ordinatio; & nihil est potens impedire & detinere tuam Voluntatem, ne amet omne bonum, quod convenit amari ab ipsa.

18. Unde adoretur & laudetur & magnificetur, *Domine DEVS*, tua sancta Voluntas, quæ non vult ullum peccatum, nec est amatrix ullius defectus; & mala opera, quæ peccatores faciunt, non fiunt per tuam Voluntatem, quia ipsa non amat illa mala, imò amat & vult bonum, quod
sequitur

sequitur de malis operibus, quæ peccatores faciunt; quod bonum est cognitio tuæ Justitiæ, & gloria justorum, quos glorificas in Paradiso.

19. g. *O beate Domine, laudate super omnes laudes!* Tibi fit amor & honor & servitium; quia omnia bona, quæcunque sunt creata & facta, sunt volita à tua Voluntate; quoniam, antequam essent in *esse*, jam erant volita ab ipsa; & nisi fuissent ab ipsa volita, non venissent de *non esse* in *esse*; & ideo venerunt in *esse*, quia à Te volita fuerunt.

20. Si omnia bona, quæ devenerunt in *esse*, fuissent volita à Te, *Domine*, antequam essent, & postea non, significaretur tuam Voluntatem non esse perfectam: igitur, cum ipsa sit perfecta, convenit omnia bona esse volita ab ipsa, quando sunt, quæ fuerunt volita ab ipsa, antequam essent.

21. Cum tua Incarnatio, *Domine*, & tua Passio essent nobis necessariæ, ut recrearemur, per hoc est significatum tuam

Volun-

Voluntatem esse perfectam; nam, quia ex ipsis sequitur bonum, quamvis Te humiliaris in Incarnatione, & haberes Passionem in Morte, tamen non omifisti adducere ad perfectionem bonum, quod à Te fuit volitum in Recreatione humanæ naturæ.

22. h. *Amabilis Domine, misericors, abundans omnibus bonis!* Sicut tua Durabilitas comprehendit omnia tempora, quia es æternus; ita convenit, quòd, quæcunque bona sunt creata, comprehendantur & concludantur à tua Voluntate, quia es infinitus; & ideo convenit, quòd omnia ab ipsa sint volita: igitur, cum ego, *Domine*, sim res principiata & terminata, ideo sequitur, quòd omnia bona non concludantur à mea voluntate, quia non est capax eorum ratione sui principii & terminationis.

23. Quando nostra voluntas, *Domine*, vult amare & honorare Te & servire Tibi, tunc est bona voluntas, quia vult amare illum, à quo omnia bona sunt volita; sed, quando nostra voluntas vult amare & laudare

364 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
dare & honorare nosmetipsos plus, quam
Te, tunc non est bona voluntas, quia vult
exaltare voluntatem terminatam supra vo-
luntatem, quæ omnia bona vult & compre-
hendit & terminat.

24. *O Domine!* Quàm graves dolores
& gravia mala sunt præparata tuo subdito,
qui fere totam suam voluntatem habuit
in volendo vanas delectationes! unde pla-
ceat Tibi alterare meam voluntatem in
amando Te, & in contemnendo istas vani-
tates mundanas.

25. i. *O Domine DEVS, qui amas om-
nes, qui Te amant, & das omnibus, qui à Te
petunt!* Tuus servus & tuus famulus Te
precatur & petit, ut dirigas suam volunta-
tem, quoniam tua Voluntas concludit &
comprehendit omnes res convenientes ad
volendum.

26. *Si Tu, Domine, dirigas meam vo-
luntatem, & me facias amatorem bono-
rum volitorum à tua Voluntate, dabis
mihi occasionem habendi virtutes; quia
velle bonum est causa congregationis vir-
tutum.*

tutum.

27. Sicut voluntas amatrix bonorum est causa virtutum, *Domine*, ita voluntas amatrix malorum est causa vitiorum: unde, cum ego fuerim adeo vitiosus, cognosco, quod mea voluntas fuerit amatrix malorum.

28. K. *Humilis Domine, suavis, vere!*
Cum nostra voluntas, quæ est finita & terminata, melioretur & rectificetur amando bona opera; quàm alta & nobilis est tua Voluntas, à qua omnia bona opera sunt amata & facta & directa!

29. Laudetur & colatur tua sancta Voluntas, *Domine*, & serviatur ei; quia, sicut cor deficit ad sciendum omnia bona, quæ à Te sunt volita, & os deficit ad nominandum, & oculi ad videndum, & aures ad audiendum ipsa; ita omnia deficient ad percipiendum omnem Bonitatem & Nobilitatem, quæ est in tua Voluntate, quæ vult tot bona, quot non possunt æstimari nec percipi.

30. Tuus subditus, *Domine*, & tuus
re-

redemptus & tuus captivus adorat & benedicit tantum, quantum suæ vires ei possunt sufficere, tuam sanctam Voluntatem, per quam omnia bona sunt creata & volita & ordinata ad gloriam Tui, qui es noster Dominus DEUS.

CAPUT LXIV.

QVOMODO IN VOLVNTATE
divina non sit volitum peccatum nec culpa.

1. **O** DEVS gloriose, Pater & Domine
a. **O** universorum, quæ sunt! Tibi sint laudes & gratiæ, qui aggratiasti & illuminasti intellectum tui servi in hoc, quòd eum facias loqui de malo culpæ *duobus modis.*
2. *Primus modus est, Domine, malum culpæ, hoc est peccatum, quod est in hominibus peccatoribus, & secundus est malum culpæ, quod intelligimus esse in privatione.*
3. *Primus modus est, Domine, quando homo*

homo plus amat se ipsum vel suum proximum, quam Te; *Secundus* modus peccati esset, si non esses Remunerator justorum, vel si faceres aliquid contra justitiam & rationem: unde iste secundus modus est in privatione, quia æternaliter non est in tua Voluntate; & primus modus est in *esse*, quia est in voluntate hominum.

4. *b. O Domine, Amator virtutum, & Volitor omnium bonorum!* Cùm Tu merearis amari & laudari & timeri & honorari ab homine, quando homo amat & honorat aliquid aliud plus, quam Te, statim cadit in malum culpæ, quia est inconvenientia in suo amore & in sua voluntate: igitur, cùm in tua Voluntate non sit ulla inconvenientia, probatur malum culpæ non nasci nec derivari ab ipsa.

5. Nam, Tu, *Domine*, non vis ullam rem vilem amari super meliorem, nec subditum honorari & timeri super suum Dominum; quia, si hoc velles, haberes defectum Perfectionis: unde, cùm Tu sis perfectus, convenit tuum *velle* esse perfectum.

6. Cúm Tu, *Domine*, scias Te ipsum omnipotentem & omnifipientem & justum & abundantem omni Perfectione, necessariò convenit per veram sanctitatem in tua Voluntate esse operari ea, quæ vadunt per viam rationis, & non operari ea, quæ vadunt per viam defectus: igitur per nullam naturam & proprietatem possumus intelligere & scire in Te posse esse inordinatam Voluntatem.

7. c. *Invocate Domine ab omnibus linguis, & honorate ab omnibus creaturis!* Cúm in tua Voluntate non possit esse peccatum nec culpa, convenit esse in ea Perfectionem bonorum operum; &, quoniam perfectionem bonorum operum convenit esse in tua Voluntate, necessariò convenit esse in ea Justitiam & Æquitatem.

8. *Sapiens Domine!* Cúm in tua sancta Voluntate conveniat esse remunerationem justorum secundúm bona opera, quæ faciunt, necessariò convenit esse in ipsa punitionem injustorum morientium in peccato.

cato.

9. Igitur, si ita esset, *Domine*, quòd tua Voluntas non vellet punire peccatores, sequeretur, quòd esset in ipsa culpa & peccatum, quia non esset in ea Justitia & Æquitas.

10. d. *Honorate Domine, Cælestis, fructuose!* Tu es, qui non habes in Voluntate malum culpæ, quia tua Voluntas non amat, nec vult peccatum primâ nec secundâ intentione: igitur, cùm omnem rem volitam conveniat esse volitam unâ duarum intentionum, & neutrà earum velis peccatum, per hoc demonstratur à Te nullatenus esse volitum peccatum.

11. Cùm tua Voluntas, *Domine*, velit facere bona opera, & hoc velit primâ intentione, convenit, quòd secundâ intentione velit peccatores obstinatos in peccatis torqueri propter suos defectus & culpas.

12. Laudetur & benedicatur, *Domine*, tua benedicta Voluntas; quia, sicut vult torquere damnatos, ita vult glorificare sal-

Aa

vatos;

vatos; & sicut vult torquere damnatos, ut salvati cognoscant suam Gloriam, ita vult glorificare salvatos, ut cognoscant tuam Bonitatem.

13. e. *Gratioso, virtuose, mirabilis Domine!* Ratio, quare amas, & vis pœnam damnatorum, est, ut in tuis operibus videaris verus & Justus Judex.

14. Nam per pœnam infernalem cognoscetur, *Domine*, tua Bonitas, & cognoscetur ingratitude & infidelitas peccatorum, & sine ipsa non posset cognosci ulla istarum rerum.

15. Unde benedicta sit, *Domine*, tua sancta Voluntas perfecta; quia, sicut ei esset turpe & vitiosum velle malum culpæ & peccati, ita esset ei turpe & vitiosum non velle malum pœnæ in damnatis, quoniam illud merentur.

16. f. *Desiderate Domine super omnia desideria, honorate super omnes honores!* Tu voluisti ordinare, quòd in malis operibus peccatorum cognoscantur bona opera justorum; & ratione istius ordinationis sunt mala

mala opera peccatorum occasio, ut cognoscantur bona opera justorum.

17. Cúm Tu, *Domine DEVS*, velis cœlestem Gloriam cognosci, & ad hoc conveniat esse infernalem pœnam, convenit bona opera justorum esse occasionata, & mala opera peccatorum esse occasionem, ut illa cognoscantur.

18. Unde, cúm conveniat, *Domine*, esse ordinatum, quòd bona opera cognoscantur per mala, ideo, quamvis malum culpæ, id est peccatum, sit in *esse*, tamen non sequitur ipsum esse volitum & amatum à tua Voluntate, sed permisisti ipsum devenire accidentaliter, ut sit subjectum, per quod cognoscatur suum contrarium.

19. g. *O Domine magne, super omnes magnitudines magne! O Domine nobilis, super omnes nobilitates nobilis!* Si Tu velles & amares peccatum esse in *esse* ita, ut per tuam Voluntatem deveniret in *esse*, sequeretur, quòd peccatores facerent opera Tibi placita; & ita, si eos torqueres & punires propter sua opera, faceres eis injuriam: igitur,
cúm

372 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
cúm Tu, *Domine*, sis justus in omnibus re-
bus, convenit, quòd poëna, quam damnati
patiuntur, sit secundúm rationem & jus-
titiam.

20. Quia homines intelligunt & affir-
mant, *Domine*, Te esse potentem in omni-
bus rebus, affirmant aliqui, quòd, si non
velles peccatum, impedivisses, ne esset in
esse, & per istam talem cogitationem deci-
piuntur multi, & putant Te amare & velle
peccatum esse in *esse*.

21. Unde ista deceptio, *Domine*, est
in eis, quia non aspiciunt ad ordinationem,
quâ convenit mundum esse ordinatum, nec
aspiciunt ad tuam Bonitatem, ratione cu-
jus nullum peccatum potest esse amatum
nec volitum à Te; nec aspiciunt, quomo-
do bonum habeat actionem super malum,
& malum non habeat actionem super bo-
num in hoc, quòd malum sit, ut sit bonum,
& bonum non sit, ut sit malum: igitur
unum est occasio, & alterum est occasiona-
tum; unde, cúm non sciant facere diffe-
rentiam in hoc, decipiuntur, putando pec-
catum

catum esse volitum à Te.

22. h. O Domine visibilis per opera! O Domine invisibilis per Essentiam! In hoc, quòd peccatum fit in esse, ut cognoscatur bonum, bonum est occasio, ut malum fit in esse; & licet ita fit, tamen non sequitur, quòd à bono fit factum peccatum, nec quòd ab ipso fit volitum, sed sequitur tantum, quòd bonum habeat dignitatem super malum in hoc, quòd conveniat esse malum, ut cognoscatur bonum: unde secundum istam intentionem bonum est occasio, & malum est occasionatum.

23. Secundum aliam intentionem demonstratur, Domine, quòd bonum sit occasionatum, & malum sit occasio; & ista intentio determinatur per cognitionem; nam, quia Tu vis bonum cognosci, oportet esse malum, ut bonum cognoscatur, quia sine malo non posset cognosci: unde, cum hoc ita fit, per hoc demonstratur, quòd malum fit occasio, ut cognoscatur bonum: igitur secundum hoc malum est occasio, & bonum est occasionatum.

24. Qui

24. Qui cognoscunt differentiam, quæ est inter occasionem & occasionatum, *Domine*, possunt intelligere & scire, quòd, quamvis bonum non possit cognosci sine malo, tamen malum non sit amatum & volitum à Te, imò poterunt scire & intelligere malum devenisse accidentaliter, quin sit amatum & volitum à Te, & devenisse in *esse*, ut sit occasio bono, quòd per ipsum cognoscatur.

25. i. *O Domine large omnibus largitibus, Dator omnium bonorum!* Tuæ sanctæ Voluntati detur Laus & Gloria; nam, quia ipsa vult conjungere omnia bona, & dare eis *esse*, & bonum est res bonas cognosci ut bonas, ideo vis ipsas cognosci tales.

26. Unde, quia cognitio boni non esset in *esse*, nisi esset malum culpæ; ideo fuit conveniens esse istud malum, ut per ipsum cognosceretur bonum.

27. Unde benedictus sis, *Domine DEVS*; nam, quia Tu vis, quòd bonum sit in *esse*, ideo devenit bonum secundum Veritatem & secundum durationem Virtutis; sed,

Vol. I. Lib. II. Dist. XIII. Cap. LXIV. 375
sed, quia non vis, quòd malum sit, ideo
devenit malum accidentaliter & contra Ve-
riratem.

28. K. *Domine Ordinator & Gubernator*
omnium rerum! Benedictus sis Tu, qui scis,
quòd res, quæ est subiecta ad amandum
& volendum peccatum, habeat defectum
virtutum & perfectionis & complementi:
igitur, cùm Tu non habeas ullum defec-
tum, & sis totus perfectus, ideo non po-
test esse in tua Voluntate velle & amare
peccatum.

29. Nam, sicut res creata, *Domine*,
habet defectum in hoc, quòd non possit
creare, & Creator non habet defectum in
hoc, quòd non possit creari, imò in hoc
habet perfectionem; ita peccatum habet
defectum in hoc, quòd non possit amari à
tua Voluntate, & tua Voluntas non habet
defectum, imò habet perfectionem in hoc,
quòd non possit amare peccatum.

30. Ratio, quare peccatum amatur à
nostra voluntate, *Domine*, est, quia nostra
bonitas est terminata, & ratione suæ ter-
mi-

minationis volumus habere res contra rationem in hoc, quòd velimus habere dignitates & alias res, quas non sumus digni possidere, & omne id est peccatum, quod inconvenienter & inordinatè volumus: igitur, cùm tua Bonitas, *Domine*, non sit terminata, propterea tua Voluntas non potest aliquid velle inordinatè ratione Perfectionis tuæ Essentiæ divinæ.

CAPUT LXV.

**QVOMODO DEVS VOLVERIT
esse DEVS & Homo simul.**

1. **D**EVUS gloriose, virtuose, potens, abundans omnibus bonis! Tibi agantur gratiæ, quia voluisti esse DEUS & Homo simul.

2. **JESV** Christe Domine! Quia tua Voluntas vult Te esse Creatorem & Creaturam, & esse DEUM & Hominem, es Creator in quantum es Deus & in quantum es Homo.

3. Tu,

3. Tu, *Domine*, vis esse DEUS & Homo simul ita, quòd divina Natura non mutetur nec alteretur in humanam, nec humana in divinam; quoniam est impossibile divinam Naturam alterari in humanam, quia ipsa est perfecta in Bonitate, & humana non habet tantam perfectionem; & est impossibile humanam Naturam alterari in divinam, quia ratione sui defectus non potest ascendere ad tantam nobilitatem, quanta est Nobilitas divinæ.

4. b. O *Domine sancte, benedicte*! Tuæ sanctæ Voluntati detur Gloria & Laus; quia per ipsam es DEUS & Homo simul; quoniam voluisti creare in Utero nostræ Dominæ sanctæ MARIÆ infantulum in esse humano, & voluisti esse ille infantulus & simul esse DEUS, sicut eras; & sic per tuam Voluntatem fuisti factus verè DEUS & Homo simul.

5. Quando Tu, *Domine DEVS*, voluisti esse DEUS & Homo simul, quid est, quod posset resistere tuæ Voluntati, & impedire, ne hoc esses? non est homo nec

An-

Angelus nec dæmon nec aliquid aliud, quod Tibi possit resistere, & possit Te impedire, ne sis DEUS & Homo simul, dummodo velis.

6. Si aliquid posset, *Domine*, Te impedire, & Tibi resistere, ne, cum velles esse DEUS & Homo, posses; sequeretur tuam Voluntatem non esse perfectam in Potestate nec in Bonitate; & si non esset perfecta, sequeretur esse defectum Bonitatis in Te: igitur, cum sit impossibile in Te esse ullum defectum, probatur, *Domine*, quod potueris esse DEUS & Homo simul dummodo volueris.

7. c. *Domine*, qui es completus *Virtutibus & omnibus Nobilitatibus*: Ratio, quare tua Voluntatis ducit ad complementum & ad perfectionem, quidquid vult, est, quia omnes Virtutes, quæ sunt in Te, sunt perfectæ ita, ut nullus sit defectus in eis.

8. Cum omnes tuæ Virtutes, *Domine* DEUS, sint perfectæ, & in Te sit Amor & Potestas & Misericordia & Æquitas & Justitia & omnes aliæ Virtutes, de necessitate

sitate convenit, quidquid est volitum à Te, venire ad perfectionem.

9. Cùm Tu, *Domine DEVS*, velis esse DEUS & Homo simul, & hoc possis, dum velis, valde miror de hominibus discredentibus Te posse esse DEUM & Hominem simul, quia putant esse impossibile, quod Tibi est possibile, dummodo velis.

10. d. *Æterne Domine sine principio & fine*! Propter duo errant discredentes Te posse esse DEUM & Hominem simul: unum est cursus naturæ, & alterum est alteratio.

11. Errantes per *cursum naturæ*, discredendo Te esse DEUM & Hominem, errant, quia non intelligunt, quòd per naturam hoc possit fieri; & quia non possunt invenire, quòd per naturam fiat, discredunt: igitur, cùm discredant id, quod non potest fieri per naturam, quare non discredunt mundum esse creatum de nihilo, & futuram esse diem Judicii, quoniam non potest esse per naturam? unde, sicut per naturam discredunt Te esse DEUM & Hominem,

ita

ita per naturam deberent discredere mundum esse creatum & futuram esse resurrectionem, & esse paradisum & infernum.

12. Errantes per *alterationem*, discredendo Te esse DEUM & Hominem, errant, quia putant, quòd nos credamus Deitatem esse alteratam in humanitatem, & humanitatem in Deitatem; & quia inveniunt hoc esse impossibile, ideo non volunt credere Te posse esse DEUM & Hominem: unde hoc est magnum mirum, quòd nostræ fidei hoc attribuant; quia, sicut ipsis videtur impossibile tuam Deitatem esse alteratam in Humanitatem, & Humanitatem in Deitatem, ita idem videtur nobis impossibile; quare nos, *Domine*, non credimus hoc, quod ipsi putant.

13. e. *Amorose Domine, plene Gratiâ!* Sicut discredentes dubitant credere Te esse DEUM & Hominem simul, quia non inveniunt, quòd possit fieri per naturam, & quia putant, quòd divina Natura alteraretur in aliam; ita possent dubitare in hoc
se-

Vol. I. Lib. II. Dist. XIII. Cap. XLV. 381
secundum respectum tuæ Bonitatis & tua-
rum Virtutum.

14. Quia, si invenirent, *Domine*, quod
secundum tuam Bonitatem & secundum
tuas Virtutes esses deficiens & vitiosus, si
velles esse DEUS & Homo simul, debe-
rent in hoc dubitare & non credere; quo-
niam non debes nec potes velle aliquid,
per quod esset in Te defectus & viti-
um.

15. Unde, quando discredentes Te,
Domine, esse DEUM & Hominem non
possunt invenire, quod in Te esset ullus de-
fectus vel vitium per esse DEUM & Ho-
minem simul, deberent hoc credere, &
maximè, cum invenirent multum bonum
inde provenire.

16. f. Ratio, quare, *Domine DEVS*,
infideles decipiuntur, quando non volunt
credere Te esse DEUM & Hominem, est,
quia dubitant prius de tua Potestate, quod
hoc possit fieri, quam aspiciant, an sit ra-
tio & causa, quare debeas esse DEUS &
Homo.

17. Cum

17. Cúm omnia possint fieri à tua Potestate, *Domine*, dummodo habeas causam & rationem faciendi ipsa, convenit hominem credere Te posse facere quidquid habeas causam & rationem faciendi: igitur, antequam homo dubitet, quòd possis esse incarnatus in humana natura, convenit, quòd respiciat, an sit causa & ratio, quare debeas esse incarnatus; & postquam invenerit causam & rationem, convenit, quòd credat Te posse & debere esse incarnatum, quia vis omne id, quod habes causam & rationem volendi.

18. Igitur, si hæretici & discredentes respicerent & inquirerent, *Domine*, tuam Incarnationem tali modo, quòd respicerent prius causam & finem, propter quem debeas esse Homo, quàm respiciant, an possis, invenirent in intellectuali imaginativa Te debere velle & posse esse Hominem; & quoniam debes & potes, debet affirmari, & fateri Te esse DEUM & Hominem.

19. g. *O Domine, laudate super omnes*

laudate

laudes: Si homines discredentes in tuam Incarnationem haberent cognitionem de magna Virtute & Dignitate, quam causa finalis habet super imaginationem, non dubitarent, quòd sis incarnatus; nam, quia causa & ratio descendunt & derivantur à potentia rationali, sunt nobilior res in homine, quàm imaginatio, cùm imaginatio stet sub potentia rationali.

20. Unde, propterea, *Domine*, humanus intellectus attingit & percipit multò plura per rationem & per causam, quàm per imaginationem, quia, quando imaginatio deficit ad imaginandum, non deficit intellectus ad intelligendum & credendum Te debere velle facere omne id, quod est ratio & causa, ut fieri debeat; &, quòd hoc ita sit, probatur in hoc, quòd nulla imaginatio possit comprehendere, quomodo aliquid possit creari de nihilo, nec ullus homo sciat nec possit imaginari, quomodo corpus humanum dissipatum in pulveres possit resuscitari in die iudicii; & tamen ratio sufficit ad intelligendum & sciendum
ista

ista posse fieri, postquam percipiat Te habere causam & rationem faciendi ipsa.

21. Unde, cum errantes imaginentur tuam Incarnationem, & imaginativa non possit eis completè indicare, quomodo possis esse DEUS & Homo, discredunt in eam, sed, si se juvarent cum potentia rationali, quæ respicit ad rationem & causam, & invenit in Te rationem & causam volendi esse DEUS & Homo, affirmarent & intelligerent & crederent tuam Incarnationem.

22. h. *O JESU Christe Domine, amoroſe, ſuprema Bonitas!* Benedictus sis Tu, & Tibi detur Laus & Gloria, quia honorasti & virtuificasti potentiam rationalem super potentiam imaginativam; nam, quia potentia rationalis est domina super imaginativam, omnis res, quæ intelligatur & ſciatur per ipsam, est in majori firmitate ſcita & intellecta, quàm ſint res dubitatae & diſcognitæ per defectum potentiae imaginativæ, quæ non ſufficit ad intelligendum & ſciendum eas.

23. Unde

23. Unde totum hoc provenit, *Domine*, ex hoc, quòd à tua Voluntate sit volitum omne id, quod est ratio & causa, quare debeat esse volitum ab ipsa; & ex hoc, quòd in homine sit defectus & miseria, ratione cujus deficit potentia imaginativa ad imaginandum res, quas non sufficit imaginari.

24. *Vere Domine* ! Si homines discredentes in tuam Incarnationem perciperent naturam potentiaè rationalis, & naturam & defectum potentiaè imaginativaè, non detinerentur in termino imaginativaè, in quo ipsa facit eos dubitare & discredere, sed ultra progredierentur per vim & virtutem potentiaè rationalis, quæ eos illuminaret certificando, quòd conveniat fieri à Te, quod est ratio & causa, quare fieri debeat.

25. i. *O Pater cælestis, gloriose* ! Discredentes, qui dubitant, an sis DEUS & Homo, quare non inquirunt, an sit Ratio & Justitia & Amor & Misericordia in tua Voluntate, volente ipsâ Naturam divinam esse

conjunctam cum humana?

26. Et, si ita esset, *Domine*, quòd invenirent in tua Voluntate defectum virtutis & vitium in hoc, quòd vellet Naturam divinam esse conjunctam cum humana, rationabile esset ipsos discredere & non affirmare tuam Incarnationem; sed, si ipsi per conjunctionem Naturæ divinæ cum humana non inveniunt in tua Voluntate vitium nec defectum Virtutum, quomodo potest esse tam magna discredentia in eis, quòd non velint credere in tuam Incarnationem?

27. Si ignorantes tuam Incarnationem, *Domine*, darent & attribuerent tuæ Voluntati amare omne id, quod est ratio & causa, ut ametur, non essent in errore, in quo sunt, imò essent illuminati splendore, quo invenirent vias cœlestis Glorix.

28. K. *JESU* *Christe Domine*! Cùm Tu velis esse DEUS & Homo simul, & habeas rationem & causam hoc volendi, tuus servus & tuus subditus confitetur Te esse verum

rum DEUM & verum Hominem; quia, cum habeas causam & rationem essendi DEUS & Homo, convenit, quod hoc velis; & cum hoc velis, etiam hoc potes.

29. *Honorabilis Domine!* Aliquoties in me cadit dubium, an sis DEUS & Homo, & hoc accidit, quia utor potentiâ imaginativâ: unde benedictus sis Tu, qui tunc mihi succurris & me juvas cum potentia rationali, in qua mihi revelas causam & rationem & ordinationem, per quam verè & certè affirmem Te esse verum DEUM & verum Hominem.

30. Amorosè & jucundè & devotè adorat Te & agit Tibi gratias tuus servus, *Domine DEVS*, quia ei dedisti gratiam perficiendi istam Distinctionem; & confidit firmâ spe, quod ei dabis gratiam deducendi ad perfectionem & finem alias Distinctiones, quæ tractant de suo Domino divino.

FINIS.

INDEX

TITULORUM TOMI II.

VOLUMEN I.

LIBER II.

DISTINCTIO X.

De Creatione.

- CAP. 30. Quomodo DEUS Creaverit
Creaturas ex nihilo. fol. 1.
31. Quomodo DEUS Creaverit pri-
mam Materiam. 12.
32. Quomodo DEUS Creaverit Fir-
mamentum. 21.
33. Quomodo DEUS Creaverit Ele-
menta. 30.
34. Quomodo DEUS Creaverit Me-
talla. 40.

CAP.

INDEX.

389

- CAP. 35. Quomodo DEUS Creaverit Vegetabilia. fol. 49.
36. Quomodo DEUS Creaverit Animalia. 58.
37. Quomodo DEUS Creaverit Angelos. 68.

DISTINCTIO. XI.

De Ordinatione divina.

38. Quomodo DEUS Ordinaverit hunc Mundum. 80.
39. Quomodo DEUS Ordinaverit Corpus Hominis. 90.
40. Quomodo DEUS Ordinaverit in homine Potentiam Vegetativam. 100.
41. Quomodo DEUS Ordinaverit in homine Potentiam sensitivam. 111.
42. Quomodo DEUS Ordinaverit in homine Potentiam imaginativam. 123.

CAP.

- CAP. 43.** Quomodo DEUS Ordinaverit in homine Potentiam rati-
onativam. fol. 135.
44. Quomodo DEUS Ordinaverit in homine Potentiam moti-
viam. 146.
45. Quomodo DEUS Ordinaverit
duas Intentiones in homine. 158.
46. Quomodo DEUS Ordinaverit
hominem intra duos Motus. 169.
47. Quomodo DEUS Ordinave-
rit hominem inter Voluntatem &
Potestatem. 181.
48. Quomodo DEUS Ordinave-
rit, quòd homo possit eligere Veri-
tatem vel Falsitatem. 192.
49. Quomodo DEUS Ordinaverit
hominem, quia illum posuit inter
eligere bonum vel malum. 204.
50. Quomodo DEUS Ordinave-
rit hominem inter duo merita, hoc
est inter meritum Gloriæ & meri-
tum Pœnæ. 214.
51. Quomodo DEUS Ordinave-
rit

INDEX.

391

rit hominem, quia illi dedit liberam
Voluntatem. fol. 225.

CAP. 52. Quomodo DEUS Ordinave-
rit, quòd omnia Bona veniant ab
eo. 238.

53. Quomodo DEUS Ordinave-
rit, quòd nullum malum culpæ ve-
nerit ab eo. 248.

54. Quomodo fuerit Ordinata In-
carnatio Domini nostri JESU-
Christi. 259.

55. Quomodo noster Dominus JE-
SUS-Christus Ordinaverit in hoc
mundo suam Pafsionem. 271.

56. Quomodo DEUS Ordinatè in hoc
sæculo abscondat & revelet gloriam
& pœnam alterius sæculi. 282.

57. Quomodo DEUS Ordinaverit
Viam Paradisi. 293.

58. Quomodo DEUS Ordinaverit
diem Judicii. 303.

59. Quomodo DEUS Ordinaverit
alterum sæculum. 312.

DIS-

DISTINCTIO XII.

Quomodo DEVS recreaverit humanam naturam.

CAP. 60. Quomodo pertineat ad nostrum Dominum Deum secundum suam Bonitatem esse Recreatorem. fol. 324.

61. Quomodo per Incarnationem divinam fuerit deletum peccatum originale. 335.

62. Quomodo humanum genus fuerit recreatum per sanctam Passionem JESU-Christi. 345.

DISTINCTIO XIII.

De Voluntate divina.

63. Quomodo omnia bona sint voluta à Voluntate divina. 356.

64. Quomodo in Voluntate divina non sit volitum peccatum nec culpa. 366.

65. Quomodo DEUS voluerit esse DEUS & Homo simul. 376.



III

BR





B. P. L.

Lib. mag.

Contēplā

tomus

2

